



Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.
Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum,
Regum ...

Trithemius, Johannes

S. Galli, 1690

De Volmaro hujus Monasterij Abbate XV. qui præfuit annis XXXVI.
mensibus X. diebus XXVI. sequitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38550

Suevorum divulgaverunt. Factum est hoc illuminationis divinæ signum ad corroborationem novellæ reformationis Bursfeldianæ, quam dictus Wolframus Abbas, divino inflammatus spiritu, paucis ante mortem suam annis introduxerat, ne pusillanimitate deficeret, quoniã impugnabatur à multis, qui secundum carnem sapiebant: sed Domino juvante prævaluit, & usque in præsentem diem laudabiliter consistit.

De Volmaro hujus Monasterij Abbate XV. qui præfuit annis xxxvi. mensibus x. diebus xxvi. sequitur.

Mortuo autem Rev.^{mo} viro Domino Brunone xiv. hujus Monasterij Abbate, atque sepulto, ne sine pastore oves morsibus exponerentur luporum, convenerunt sancti fratres in unum, ut sibi juxta normam sanctissimi Patris nostri Benedicti providerent de Abbate. Anno igitur Dominicæ Nativitatis præscripto mc. atq; xx. Indiæ. Roman. xiii. die verò mensis Martij xxiv. post invocationem divini Numinis consuetam, Volmarus Monachus ex electoribus unus omnium fratrum consensu in Abbatem hujus Monasterij electus est. Qui se tanto honore penitus indignum judicans, onus subire spiritualis regiminis diu renuit; quousque tandem lacrimis, & precibus totius congregationis victus humiliter consensit: ordinatus postea fuit Moguntia in Monasterio S. Martyris Albani pridie Nonarum Aprilis, per ministerium Adelberti Archiepiscopi Moguntini, & præfuit annis xxxvi. mensibus decem, diebus viginti sex, oriundus de gente Suevorum parentelam honestam habuit, quam suis virtutibus non mediocriter illustravit. Staturâ procerus extitit, & quâdam corporis elegantia metuendus, vocem sonoram emittens, maturitate, simul & eloquentiâ decoratam, quæ & tereretur adversarios, & suâ prudentiâ delectaret amicos. Hic adhuc puerulus ad discendum litteras scholis à parentibus traditur: qui cum esset ingenio docilis, aptus ad omnia videbatur. Crevit in eo cum ætate corporis, notitia scripturarum: & brevi tandem proficiens multum, in adolescentem evasit doctissimum. Moribus & vitâ integer extitit, & ab infantia Deum timere cœpit. Post annos ætatis suæ 24. cum esset Canonicus Constantiensis Ecclesiæ, cerneretque multos ire in præcipitium mortis per abrupta vitiorum de suo periculo timuit: & quomodo fugere posset de medio Babylonis, sedulo cogitavit. Audiens autem crebrò multorum relatione, quàm religiosam, & sanctam conversationem fratres in Hirsaugia ducerent, eis conjungi statuit: quod non diu postea opere complevit sub venerabili Brunone Abbate. Factus autem Monachus, quàm purè & religiosè in medio fratrum suorum omni tempore conversatus fuerit, non est nostræ facultatis exprimere, cum ejus meritum pauperis viri sermonem longè constet superare. Ad Regulæ monasticæ puritatem vivere, totisque viribus conversari, semper studuit: & constitutiones seniorum vigilantissimè custodivit. Inter humiles fuit humillimus, & nulli suâ conversatione unquam gravis, aut onerosus. In divinis scripturis & doctus extitit, & studiosus: utpote cui nihil in hoc mundo

Volmarus
fit Abbas
hujus Mo-
nasterij xv.

Patria, &
institutio
Volmari.

Laus Vol-
mari post
conver-
sionem.

Quædam
libri volmari
scripti sunt

videbatur esse jucundius, quam aut scripturas divinas revolvere; aut mentis cum tripudio continuè ad Dominum orare. Post annos deinde novem, quibus in sancta Religione monastica inculpate vixerat, divini providentiâ sine dubio factus est Abbas, ut jam securus ducatum ad salutem præberet subditis, qui pro Christi amore non solum Prælati, sed etiam inferioribus subesse humiliter nunquam recusavit. Corde parus, conscientia mundus, divini amoris incendio fervidus; animum habitum ab omni luxu procul remotum. Singulari quoque sapientia præditus, ac morum honestate magnifice decoratus. Omnem semper, & ubique tam mentis, quam gestuum detestabatur levitatem. Tantam in moribus suis maturitatem præferbat, quod in ejus præsentia homines etiam dissoluti, atque levissimi, pro tanti viri reverentia quandam honestatis speciem cogenterentur assumere. Ejus conversatio nulli unquam Deum timenti fuit onerosa. Utpote qui jucundus interdum, dissolutus nunquam esse solebat: in Domino gaudens cum gaudentibus, & mœrens cum fientibus. Naturali dono, simul & arte imbutus facundus, & eloquens extitit: & non minus latinè, quam vulgari dicendi peritus. Enimvero quidquid dicere voluit, tam ornate, proprie, ac disertè in medium protulit; ut animos auditorum in sua videretur habere potestate. Facile persuasit, quod voluit: cujus linguam humana non solum scientia disertam fecerat, sed etiam puræ mentis integritas divino illustrante Spiritu commendabat. Qui mox ut ordinatus in Abbatem extitit, pastorem se fratribus utilem exhibere pro viribus curavit, & non solum verbis exhortando (quod optimè novit) sed multò magis bono exemplo gregem sibi commissum studuit informare. Vitiatorum hostis acerrimus fuit, qui delinquentes subditos mox sine delectu personarum secundum Regulæ institutionem corripuit: summo namque studio vigilavit circa regularis disciplinæ observantiam, & bonum, quod Monachis faciendum docuit, in suis operibus esse possibile demonstravit. Videntes ergo fratres quorum corda Spiritus S. illuminaverat, ejus sanctissimam conversationem, magno illum venerabantur affectu dilectionis, cujus mandantis in omnibus documenta sequentes sanctæ cooperatores institutionis esse gaudebant. Omnes Religiosissimi Pastoris exemplo quotidie ad meliora provocati sanctæ traditionis monasticæ præcepta studiosissime observabant, & constitutiones sanctissimas, quas eis S. Wilhelmus quondam dedit, inviolatas omnitempore cum fervore spiritus custodierunt. Unde crescente mirabiliter disciplinâ regulari quotidie in Hirsaugiana congregatione sanctissimâ fama sanctitatis, & Religionis Volmari Abbatis per totam diffundebatur Germaniam, & multi viri nobiles, & eruditi ejus se magisterio submiserunt. Et ecce quàm pius est, cui serviebant in Monasterio fratres, Dominus, qui benedixit eis, & multiplicati sunt; & quanto major in eis fervebat devotio, tantò in rebus temporalibus, Domino providente, amplius profecerunt. Opes etenim ingentes religio Monachorum sancta peperit, sed Matrem filia postea miserabiliter suffocavit, quod factum penè in toto ordine nostro cernentes meritò debemus ingemescere. Merebatur hoc sancta fratrum Hirsaugiensium devotio, ut quanto magis quærebant celestia, tantò crescerent eis, Domino largiente, necessaria præsentis vitæ subsidia.

animo
ad A. 11
-01 Men
12. 12. 12.

Verbo do-
cuit exem-
plo præcef-
sit.

12. 12. 12.
12. 12. 12.
12. 12. 12.

Multimul-
ta loco isti
contule-
runt.

Nam

Nam multi Principes, & Potentes in sæculo famâ sanctitatis Volmari Abbatis, & fratrum suorum excitati plura contulerunt. Temporalis etenim substantia, sine cujus adminiculo perit religio, valde crevit tempore Volmari Abbatis, quemadmodum in donationum volumine continetur. Nec solum de vicinis Alemannia locis beneficia sua Hirsaugiensibus homines certatim impendere studuerunt, verum etiam remotè commorantes, ut meritorum sanctæ Congregationis participes se facerent, multa diversis temporibus dona, & beneficia dederunt. Ipse quoque Volmarus Abbas cum esset vir prudens, & non minus in rebus mundanis, quàm in claustralibus expertus, emendo & comparando prædia multa, census Monasterij valde ampliavit. Unde, sicut diximus, res Cœnobij sub ejus providentia satis auctæ sunt, & fratres Domino servientes merito, & numero creverunt. Magna Volmarus utebatur industriâ, tantâque vigilantia curabat universa, ut qui ejus vidisset circa spiritualia studium, nullam illi curam inesse temporalium credidisset. Rursum si quis continuum ejus laborem, & sollicitudinem in disponendis negotijs exterioribus attendisset, omnem curam, & sollicitudinem spiritualium ab ejus mente putasset alienam. Tali se moderamine discretionis semper & ubique constantem exhibuit, ut veluti Ajoth ambidexter, alteri curæ sine detrimento alterius iacentis omnia secundum Deum rectè disponderet.

M C X X I.

Anno Volmari Abbatis primo mortuus est Wernherus Comes de Griningem fundator Monasterij Divæ Parthenices in Hassia, quod Breidenavve nuncupatur, & in dicto Cœnobio sepelitur. Hic natione Suevus cum Imperatore Henrico V. cujusdam negotij causâ profectus in Hassiam, cum vidisset amœnitatem loci campestris, ubi duo fluvioli Werna, & Fulda confluunt in Breidenavve, Spiritu sancto inspirante Monasterium nostri Ordinis consentiente, & fundum tradente Imperatore cœpit construere, & Monachos de Congregatione Hirsaugiensis tunc verè sanctissima evocare. Ad quod Cœnobium à venerabili Patre Brunone missus est Drutvvinus Monachus, & Cantor primus Abbas cum fratribus 12, ut dictum est anno Brunonis 14. Comes autem Wernherus morte præventus structuras incœpti Monasterij perficere non potuit, quas impensis ab eo præordinatis Drutvvinus Abbas & S. Henricus ejus Successor, de quo suo dicemus loco, magnificè perfecerunt.

Anno prænotato 6. die Mensis Januarij, hoc est in festo Epiphaniæ obiit S. Ermenoldus ex Monacho hujus Monasterij Hirsaugiensis primus Abbas in Bruveningen prope Ratisbonam in Bavaria, qui multis in vita, & post mortem coruscavit miraculis; cujus vitam, & sanctissimam conversationem anno Brunonis ix. consignavimus.

Eodem anno Henricus Imperator V. expeditionem contra rebelles sibi Moguntinos paravit, ac primò navium eis commeatum intercludit, deinde præsidij circumcirca munitis, nihil victualium civitati permisit inferri, & postremò ad obsidionem urbis exercitum adunare constituit. Quod audiens Adelbertus ejusdem Civitatis Archiepiscopus, qui in Thuringiam secesserat à facie regis persequentis, totam Saxoniam in auxilium civium suorum commovit. Igitur circa solsti-

Wernherus
Comes
moritur.

Wernherus
Comes
moritur.

S. Ermenoldus
moritur.

Wernherus
Comes
moritur.

Concordiæ
fundamen-
ta ponuntur.

Causa Im-
peratoris
remittitur
ad Papam.

Erlungus
Herbipol.
Episcop.
moritur.

tium æstivale duo magni conflantur exercitus, alter ab Alsatia per Imperatorem contra Moguntinos, alter à Saxonia per Archiepiscopum pro civibus liberandis. Intercedentibus autem quibusdam, qui pacem dissidijs prætulere, Imperator causam principibus commisit terminandam; pro cujus expeditione consilij, dies conveniendi apud Herbipolim ad festum S. Michaelis statuitur. Evolutis post hæc tribus fere mensibus venit Henricus Imperator cum ingenti apparatu in civitatem Wirzburgi juxta conditum: Adelbertus verò Moguntinorum Archiepiscopus, & Saxonum principes cum cæteris castra metati sunt juxta rivulum, qui Werna dicitur, non multum distantes ab Herbipoli, quoniam Imperatori, & Poapolitanis cum eo sentientibus non satis confidebant. Veruntamen securitate per internuntios datâ, & acceptâ, post triduum & ipsi Cæsarem adierunt de pace omnimoda tractaturi. Pacificè igitur ab Imperatore suscepti extra muros civitatis, propter utriusque partis multitudinem per continuam septimanam ad curiam se contulerunt, quotidie de præsentis schismate inter regnum, & sacerdotium extinguendo consultantes. Tandem auxiliante Domino pax confirmata est, & jurando sub vitæ periculo firmiter stabilita: regalia regno; & spiritualia sunt Ecclesiæ adjudicata. Ad hæc prædones fures imperialib⁹ edictis coercendos, puniendosque secundum leges antiquitatis constitutas consensu omnium decretum est: & quicquid scandali, vel tribulationis in regno fuit exortum, Dei miseratione extinctum est. De sententia verò excommunicationis Henrici Imperatoris, unde omnia penè scandala fuerunt exorta, nihil fuit in hac consultatione diffinitum: sed ejus rei negotium ad examen Rom. Pontificis omnium consilio remissum fuit, Legatis quibusdam deputatis, qui hæc omnia ad noticiam Calixti Papæ II. deferentes absolutionem Imperatoris nomine totius regni postulerent.

His temporibus Godebaldus Trajectensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus Monasterium in Ochsbruck dictum Ordinis nostri haud procul ab ipsa civitate in palustri solitudine fundavit sub honore S. Martyris Laurentij, in quo Abbatem, & Monachos posuit, quibus hujus vitæ necessaria ad serviendum Domino providit. In quo Cœnobio tanta religionis distinctio multo tempore olim viguit, ut carcer Monachorum, & diceretur, & esset. Nam qui emendari in alijs Cœnobijs non poterant, ad agendam poenitentiam illuc mittebantur: Cœnobium quoque Monialium Ordinis nostri præfato Monasterio contiguum simili devotione construxit, in quo plures Deo servientes virgines collocavit.

MCXXII.

Anno Volmari Abbatis II. Erlungus Episcopus Herbipolensis per quatuor annos elephantino vexatus incommodo, iv. calend. Januarij obiit, & prohibente schismate inter regnum, & sacerdotium non in civitate, sed in Monasterio Schvvarzach nostri Ordinis, quod tribus ab Herbipoli distat milliariis, sepulturam accepit: de cujus electione, expulsionem, restitutionem, & tribulationibus dictum est anno Gebhardi Abbatis XIII. & XIV. Dominicæ verò Nativitatis MCI. Post cujus mortem Henricus Imperator V. consilio suorum usus quendam adolescentem nomine Gebhardum Pontificali dignitate sublimavit, Clero simul reclamante, & populo; qui Rugerum ejusdem Ecclesiæ Diaconum unan-

nimi consensu pastorem sibi delegerant. Hinc ortæ fuerunt gravissimæ
dissensiones, & maculata sanguine pontificia Sedes. Nam qui Ruggeri
partibus favebant, suis rebus spoliati de urbe à Cæsarianis fuerunt expulsi.
Inter quos fuerunt Dux Fridericus, & frater ejus Conradus, Nepotes Im-
peratoris Heinrici, à quo & propterea cum cæteris discesserunt, qui
tamen non multò post electum suum per Adelbertum Archiepiscopum
Moguntinum cum nonnullis principibus Saxonie colloquium juxta Wir-
raham fluvium facientes præsentibus legatis Romani Pontificis obtinuerunt
confirmari. Regis auctoritate contemptâ.

Aderant in eodem colloquio Principum Episcopus Spirensis, &
Abbas Fuldenfis, qui legatione totius regni anno priori ab Herbipoli
Romam missi peractâ redierant; secum habentes Lampertum Hostien-
sem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum cum alijs Cardinalibus duo-
bus. Calixtus enim Papa secundus cupiens pacem inter Ecclesiam re-
formare, & imperium, rogatus per dictos Nuncios principum Germa-
niæ, misit præfatos Cardinales de latere ex more Legatos cum plena po-
testate absolvendi, & faciendi omnia, quæ ad hoc necessaria videbantur.
Hac de causâ iterum colloquium curiale per provincias indictum est ad
festum sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Herbipoli proximè cele-
brandum. Instante jam termino conveniendi præfinito, Episcopi, &
principes in magna multitudine ad Poapolim convenientes, aliquamdiu
Cæsaris præstolabantur adventum. Sed ubi nuncijs veracibus didicerunt,
illum nequaquam esse venturum, quisque in sua redire disposuit. Inter-
ea Gebhardus usurpator Pontificatus Herbipolensis confœderatis sibi jam
firmiter civibus intra muros copiosa cum multitudine residebat. Qui die
quâdam post meridiem assumptâ de his, qui secum erant, manu validâ
quosdam, qui jam uno penè milliario ab urbe castram posuerant, nihil
mali suspicantes invadere tentavit, & quasi adversarios regni deputans
aut turpiter pellere, aut incautos prosternere cogitabat.

At illi clamore venientium excitati mox arma corripunt, ac
acie contra venientes directâ se fortiter defendunt. Cæsis, vulneratis,
& captis ab utraq; parte nonnullis, die quòque jam advesperascente à
pugna cessatum est; his ad civitatem, illis verò ad tentoria sua reverten-
tibus. Hinc animis efferati Principes ad Civitatem unanimiter con-
vertuntur, Rugerum inthronizare contententes; verùm id non sine
sanguinis effusione fieri posse perpentes ad Monasterium S. Felicita-
tis in Schvvarzach divertunt, & ibi cum coram omni consilio tam Ar-
chiepiscops Moguntinus Adelbertus, quàm Sedis Apostolicæ Legati
Præsulem Ecclesiæ Herbipolensis consecrantes ad propria reversi sunt.
Exinde idem Rugerus eam Episcopij Herbipolensis partem, quæ Nec-
caro fluvio circumjacet, in suos tenuit usus; Gebhardus verò urbem,
& quæ illi contigua sunt, in sua securè detinuit violenta potestate. In-
terea Moguntinus Archiepiscopus Adelbertus ab indignatione Cæsaris
sibimet undique necessariò prospiciens, castrum antiquum, & jam per
multas generationes funditus penè dirutum, quod vel à rivo præter-
fluente Ascafa, sive ut quidam volunt, ab Ascanio conditore primo
Ascafenburgium dicitur, magno conatù readificare cœpit, & munire.
Quod Imperator ad injuriam sui, & Reipublicæ detrimentum fieri di-
judi-

Rugerus
pro Episc.
confirmatur.

Concordia
inter
Ruggerum
& Imperatorem.

Episcopus
Calixtus
Papa secundus.

Rugerus
pro Episc.
confirmatur.

Rugerus
consecra-
tur Episco-
pus.

Concilium
habetur in
Wormatia.

Concordia
fit regni &
Ecclesie.

Scriptum
Cæsaris ad
Papam.

Rescriptum
Papæ ad
Cæsarem

judicans obsidionem è contrario ordinare disposuit. Sed Apostolicæ Sedis Legatorum interventu consilium ejus Domino miserante cassatum est. Anno namque prænotato factum est generale consilium Episcoporum, & Principum totius regni apud Wormatiam Henrico Imperatore, & Apostolicæ Sedis Legatis præsentibus; in quo post multos tractatus hinc inde habitos, tandem Deo largiente schisma perniciosum, quod inter Ecclesiam, & Regnum gravi cum periculo animarum pluribus annis duraverat, fuit ablatum. Ibi Henricus Imperator colla Romano Pontifici ad obediendum humiliter submisit, & à Legatis Calixti Papæ secundi absolutus à vinculo anathematis in communionem Sanctæ Matris Ecclesiæ receptus est; populis lætantibus universis. Et Cæsar quidem ipse Henricus in signum perpetuæ pacis, subjectionis, & concordie, hujus tenoris litteras Romano Pontifici tradidit.

Ego Henricus DEI gratiâ Romanorum Imperator Augustus pro amore Dei, & sanctæ Romane Ecclesiæ, & Domini Papæ Calixti, & pro remedio anime mee dimitto Deo, & sanctis ejus Apostolis Petro, & Paulo, sanctæque Catholice Ecclesiæ omnem investituram per anulum, & baculum, & concedo in omnibus Ecclesijs fieri electionem, & liberam consecrationem, possessiones, & Regalia B. Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem, seu tempore patris mei, si ve etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romane Ecclesiæ restituo, quæ non habeo, ut reddantur, fideliter jurabo. Et de veram pacem Calixto, sanctæque Romane Ecclesiæ, & omnibus qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt, & in quibus sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter jurabo, possessiones, & omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & aliorum, tam Clericorum, quam Laicorum, consilio Principum, & justitiâ, quæ habeo reddam, quæ non habeo, ut reddantur, fideliter jurabo. Data anno Domini MCXXII. Nono Calend. Octobris. Porrò Legati Apostolicæ Sedis nomine, & vice tam Calixti Papæ, quàm totius Ecclesiæ hujuscemodi litteras Imperatori tradiderunt.

Ego Calixtus Servus Servorum DEI dilecto filio suo Henrico DEI gratiâ Romanorum Augusto. Concedo Electiones Episcoporum, & Abbatum Terrarum regni, qui ad regnum pertinent, in presentia tua fieri absque simonia, & aliqua violentia, ut si quæ inter partes discordia emerferit, Metropolitanis, & Comprovincialium consilio, vel judicio saniori parti assensum, & auxilium præbeat. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his juri debet, tibi faciat. Ex alijs vero partibus imperij consecratus intra sex menses Regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceras, secundum officij mei debitum auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno MCXXII. nono Cal. Octobris.

Hæc scripta Cæsaris, & Papæ rescripta propter infinitæ multitudinis conventum extra civitatem in loco campestri juxta Rhenum lecta sunt, data, & accepta. Postquæ multimodas laudes Creatori perfollicitas, Lampertus Hostiensis Episcopus Calixti Papæ Legatus Missam cantavit, Imperatorem Corpore Dominico sanctificavit, & in osculum recepit. Quibus peractis unusquisque ad propria cum gaudio reveritus est.

Eodem anno in festo S. Martini Henricus Imperator colloquium in Bambergâ habuit cum quibusdam Principibus, qui apud Wormatiam in Con-

in Concilio generali non fuerunt praesentes, ubi cunctis in ejus vota contententibus, proprios nuncios cum Romanis Legatis ad summum Pontificem misit, cui & pacem bonam, diutiusque optatam, & munera honorifica cum subjectione destinavit.

Eodem quoque anno mortuus est Erlolfus Abbas Fuldenfis vir sapiens, & in agendis prudentissimus, qui eandem Abbatiam post obitum Wilhelmi, qui Gotfrido per Regem deposito successerat (ut dictum est anno Brunonis Abbatis quinto) invitatus suscepit, & laudabiliter praefuit. Hic est Erlolfus, qui cum Neometensi Episcopo, sicut anno priore diximus, à Principibus Germaniæ Romam pro reformanda pace inter Sacerdotium, & Imperium destinatus magnum prudentiæ suæ præconium reportavit. Cui Udalricus Monachus in Abbatia successit.

Eodem anno Cuno Episcopus Argentinensis depositus est, cui Bruno successit. Item hoc ipso anno concordia inter Papam, & Imperatorem nondum reformatam, Fridericus Archiepiscopus Coloniensis quoddam imperiale castellum Carpena dictum cepit, ac destruxit.

Claruit hoc tempore etiam Hugo ex Abbate S. Germani Altrifiodorensis Episcopus, nepos D. Hugonis Abbatis Cluniacensis vir scientiæ, & moribus insignis, & apud omnem posteritatem sempiternam memoriâ dignus, qui Ordinem Cisterciensium illo tempore novellum, & pauperem & valde dilexit, & multum promovit.

MCXXIII.

Anno Volmari Abbatis tertio fundatum, & consumatum est Monasterium Ordinis nostri in Odenheim Spirensis Diœcesis per Brunonem Archiepiscopum Trevirorum, & fratrem suum Popponem comitem in Brethem, sicut diximus anno Gebhardi Abbatis XI. Volmaro ipsi traditur, & suis fratribus inhabitandum.

Habito igitur fratrum suorum consilio Volmarus Abbas XII. Monachos de sua congregatione ad instantiam fundatorum illuc misit, quibus Eberhardum venerabilem virum in primum Abbatem praefecit. Quod quidem Cœnobium nostris temporibus Monachis, pro netas! cum pastore apostatantibus in Ecclesiam sæcularium deformatum est sub Ludovico Episcopo, & per Philippum ejus in Pontificatu successorem in oppidum Bruchsal translatum, quemadmodum suo tandem loco inferius, Domino volente, dicemus.

Anno prænotato mortuus est Bruno Episcopus Spirensis, vir magnificus, anno pontificatus sui XIV. nondum completo: de quo latius dictum Brunonis Abbatis V. Cujus corpus in Monasterio Lymphurgensi ante gradus Presbyterij fuit sepultum, quod nostris diebus exhumatum, & penè integrum vidimus annulo aureo cavato, & pontificalibus ornamentis circumamictum. De hoc Brunone Pontifice Rupertus ejusdem Cœnobij Abbas, de quo postea dicemus, visiones quasdam conscripsit mirabiles, asserens illi in excommunicatione obiisse, seq; apud supernum judicem metuendam sustinuisse sententiam, vixque Sanctorum precibus veniam consecutum, propterea quod ejus corpori sepulturam concessit.

Huic Brunoni in Præfulatu Ecclesiæ Spirensis successit nomine quidam Arnoldus Ordinis nostri Monachus, & Abbas trium Monasteriorum, primò Corbejensis, postea Laurissam ab Imperatore obtinuit, di-

Ccc

missâ

Udalricus
fit Abbas
Fuldenfis.

Udalricus
fit Abbas
Fuldenfis.

Udalricus
fit Abbas
Fuldenfis.

Monasterium
in Odenheim.

Bruno Spirensis
Episcopus
mortuus.

Arnoldus
ex Abbate
fit Episcopus
Spirensis.

Cœnobij
Lymphurg.
ſpoliatio.

miſſâ Corbejâ. Cumque Monafterium Lauriſſenſe aliquamdiu reſiſſet, Imperatoris promotione conſecutus eſt & alias duas Ordinis noſtri Abbatias Wiſſenburgenſem, & Lymphurgenſem. Brunone tandè mortuo, & in Lymphurg, ut diximus, ſepulto (ubi Rupertus tunc Prioris agebat officium) factus eſt Epicoſ. Spirenſis non ſine detrimento Monafteriorum. Nam ut de reliquis tranſeamus, in Lymphurg monumenta quondam vidimus, quibus accuſabatur aureas cruces, & argenteas, calices quoque onychinos, & aureos unâ cum diverſis clenodijs, & ornamentis Eccleſiaſticis de Monafterio ſecum detuliſſe ad Spirenſem Eccleſiam.

Reliquiæ
ſſ. inventæ

Anno etiam prænotato ſervo Dei Norberto Præmonſtratenſis Ordinis primo fundatori, & Archimandritæ pro Sanctorum reliquijs venienti Coloniam, ob idque orationibus, & jejunijs vacanti quâdam nocte una de numero ſanctarum xi. millium Virginum in viſu apparuit, nomè ſuum dixit, locum ſepulturæ demonſtravit. Qui manè conſurgens humum in loco ſibi manifeſtato effodit, ſacrum Virginis corpus cum alijs reperit, gratias Domino retulit, & reliquias ejus, quæ ſibi apparuerat Præmonſtrato tranſmiſit. Qui Dei ſervus nocte ſequenti pernoctans in Eccleſia S. Gereonis in eadem civitate Coloniënſi, orationi ſuo more intentus, divinâ meruit conſolatione recreari. Nam manè factò in medio Eccleſiæ, ubi nullum penitus ſepulturæ apparuit ſignum, terram juſſit effodi, & corpus ejuſdem Martyr. S. Gereonis demptâ capitis parte integrum reperit, quod cum ingenti gaudio populi levans de terrâ particulam precibus obtinuit, quam Præmonſtrato dedit. In fine hujus anni Imperator Heinricus natale Domini apud Trajectum inferius celebravit, ubi ſubortâ in ipſius feſti diebus diſſenſione inter aulicos, & ſervitores Epicoſ, civitas omnis in arma proſiliit, & multis ab utrâque parte cadentibus Epicoſ cum quibuſdam civibus capitur, quaſi reus conjurationis in Cæſarem, & vinculis mancipatus pro magna pecuniarum ſumma vix tandem rogatu Principum dimittitur.

Eodem quoque anno ſoror Lotharij Ducis Saxonum, quæ Hollandiæ mortuo viro Comitatu tenebat, res novas moliebatur contra Imperatorem, fratris ſuffulta præſidio, quod ei maximè ſuceſſit in bonum, quoniam brevi poſteâ per vim ad obedientiam compulſa fuit.

MCXXIV.

Spanheim
Cœnobij
fundatur.

Anno Volmari Abbatis iv. Monafterium ſancti Martini Præſulis in Spanheim, cui annis olim præſui xxiii. Abbatis nomine, & miniſterio indignus, per Megenhardum, & Rudolphum comites de Spanheim illuſtres conſumatum eſt, & pro ſuſtentatione Monachorum mediocriter proviſum. Cujus primus Abbas conſtitutus eſt Bernhelmus Monachus S. Albani prope Moguntiam, vir religione, & doctrinâ præcipuus, quem Volpertus Abbas ſuus cum octo Monachis, & quatuor Converſis ad instantiam fundatorum deſtinaverat, & præſuit annis xxvi.

His etiam temporibus Otto comes in Ballenſtat, Halberſtattenſis Diœceſis in Saxonia, vir dives, & illuſtris, DEUM, & ejus intemeratam Genetricem habere cupiens hæredes, Monafterium Ordinis noſtri, quod Ballenſtat nuncupatur, in ipſo Comitatu ſuo novum à fundamentis conſtruxit: quod pro ſuſtentatione ſervientium DEO Monachorum ſufficienter dotavit, & in honorem DEI-parentis conſecrari obtinuit.

Eâquoque

Eâ quoque tempestate Theodoricus Noviburgij aliàs Cicensis in Thuringia Episcopus Monasterium Ordinis nostri haud procul ab urbe memoratâ Cicensi novum in monte construxit, Posavia dictû, in quo Monachos cum Abbate posuit, quibus vitæ præsentis necessaria copiosè ordinavit, & continua Christo ibidem servitia instituit. Erat in eadem congregatione Monachorum Conversus quidam perversus, & reprobus non secundum spiritum, sed in carnis voluptatibus ambulans, qui cum sæpius corripere ab Abbate, & fratribus, pravos emendare mores contempsit. Emendandus tandem defertur venerabili Episcopo præfato, cujus auctoritas, utpote fundatoris Monasterij, delinquentibus esset formidanda. Religiosus Antistes hominem pro suis delictis ut dignum erat, primùm leniter, & mansuetè corripuit; postea non emendatum durius increpavit. Qui factus in sensum reprobum, & odio habens corripientem, die quâdam procumbentem in oratione Præsulem coram principali Hagia sterio latenter aggressus cultro perfodit, & mox de Sanctuario aufugit. Antistes vulnere crudeliter fauciatum tertîâ post die ad Dominum migravit. Fuit autem vir in divinis scripturis haud mediocriter eruditus, vitâ, & conversatione Deo devotus, doctrinâ verè Catholicus, & Rom. Pontificum, & Ecclesiæ contra schismata propugnator egregius.

Anno prænotato mortuus est Bruno Trevirorum Archiepiscopus fundator Monasterij DEI Genetricis intactæ Virginis MARIÆ in Odenheim Spirensis Diœcesis, de quo anno præcedente diximus, & in majori Ecclesia Trevirensi sepultus est. Cui Gotfridus Decanus ibidem successit. Eodem anno magnâ molis grando IX. Calend. August. cecidit, & III. Iduum Augusti solis eclipsis fuit, quam fames secuta est.

Claruit his temporibus Rupertus Abbas Monasterij Tuitiensis in opposito civitatis Coloniensis juxta Rhenum, quod S. Heribertus Archiepiscopus anno Conradi Abbatis Hirsaugiensis VII. construxit, quemadmodum illic diximus in honorem SS. DEI-parentis semper Virginis MARIÆ. Vir magnæ doctrinæ, & sanctitatis. Qui cum Monachus esset Cœnobij S. Laurentij Mart. in Oesbruck prope Trajectum; cujus anno Volmari Abbatis primo fecimus mentionem, maximum discendis divinis scripturis studium continuè impendit, sed ubi propter ingenij tarditatem se parùm proficere cerneret, vehementer doluit, & Matrem gratiæ Reginam cœlorum, ut sui misera miserationem sibi, & scientiam impetraret à filio, continuis orationibus invocavit. Et ecce Mater pietatis & clementiæ sanctissima Virgo DEI genitrix Maria nocte quâdam dormienti in visione apparuit, gratiam DEI, & divinarum scientiam scripturarum omnimodam repromisit. Ecce quid non potest ad Matrem Christi oratio humilis continuè supplicantis. Ex illo die gratiâ ministrante, quod negavit ingenium, tantam in divinis scripturis consecutus est scientiam, ut similem temporibus suis habuerit neminem. Postea famâ eruditionis ejus, atque sanctitatis longè latèque volante, Fridericus Archiepiscopus Coloniensis de præfato Monasterio S. Laurentij in Oesbruck illum vocavit ad Coloniâ, & in Tuitio Monachis præfecit in Abbatem. Qui moribus, & eruditione clarus multa in scripturis sanctis volumina edidit, & vitæ sanctimoniâ illustris miraculis coruscavit. Tam

Theoderic.
Episcopus à
Converso
interficitur

Gotfridus
fit Archiep.
Trevirorû

Rupertus
miraculosè
acquisivit
scientiam

Opuscula
huius S. Ab-
batis.

ſtudioſus in orationibus, & continuus in revolvendis ſcripturis eſt, ut etiam dormiens labia ejus quaſi orantis, vel legentis continuè moverentur: de cujus lucubrationibus ſubnotata invenimus. Ad Cunonem Sigebergienſem Abbatem poſtea Ratiſponenſem Episcopum ſcripſit opus pulcherrimum de victoria Verbi DEI prænotatum lib. vii. In librum Job. lib. x. In libros Regum de S. David lib. xv. De Fide S. Trinitatis lib. xlii. In Apocalypſim Joannis lib. xii. De divinis officijs lib. xii. In duodecim Prophetas minores lib. xxx. In Evangel. Matthæi lib. viii. In Evang. Joan. lib. xiv. Meditationum ſuarum libros tres, materiam ſumens de incendio Monafterij ſui Tuitienſis. In Regulam Legiſlatoris noſtri Benediſti librum unum. Apologeticum pro eodem lib. unum. De quatuor difficillimis quaſtionibus librum unū. Sermones varios, & plures conſcripſit epistolas, quibus memoriam ſui cum laude tranſmiſit ad notitiam poſteriorum.

Rupertus
Abb. Lym-
burgenſis.

Rupertus quoque Abbas Monafterij S. Crucis in Lymburg, Ordinis & ipſe noſtri Spirenſis Diœceſis, de quo ſupra diximus anno Gebhardi Abbatis vii, qui poſt Arnoldum Episcopum factum in Abbacia ſucceſſit, hæc tempora ſcriptis, & morum integritate reddidit clariora. Qui regularis vitæ obſervantiam cupiens reformare, ad quod ſe divinis compulſum revelationibus aſſerebat, tantâ diſtinctione, jejunio, & abſtinentiâ vitam traduxit, ut quibuſdam ex Monachis ſuis importabile jugum institutionis illius videretur. Nam omni tempore oleribus, & pulmentis frumentarijs ad eſum contentus, non ſolum à carnibus, ſicut Regula præcipit penitus, abſtinebat, ſed etiam ab ovis, à lacticinis, piſcibusque, & omni, quoad vixit, aut vivere potuiſſet, firmiſſimâ ſemper, & uſque ad mortem abſtinuit conſtantiâ.

Hunc vivendi modum Arnoldus Spirenſis Eccleſiæ ſupradictus Episcopus ad instantiam quorundam Monachorum, quibus importabilis videbatur, ſuperſtitioſum arbitrans, Rupertum ad ſe citavit Abbatem. Quo in civitate Neometenſi cum fratribus ſibi in eâ novitate conſentientibus ad terminum comparente Præſul Arnoldus Prælatos, & complures viros doctos in unum convocans, atque ad examen Abbatis procedens talibus eum verbis alloquitur: *Cujus vel autoritate, vel licentia conſiſſis, ô Abba in noſtra Diœceſi, & ſub noſtra poteſtate conſtitutus monaſtica converſationis Regulam à SS. Patribus discretâ moderatione conſcriptam, & iam ab ipſis, quàm ab corū venerandis ſucceſſoribus, per tot annos laudabiliter obſervatam novâ quâdam ſuperſtitione audeas immutare, earum rerum uſum Monachis interdicens, quem & Regula permittit, & nullus unquam ſanctorum prohibuit. Neque enim te majorem, & ſanctiorem te exiſtimare debebis S. Legiſlatore Monachorum Benediſto; qui Monachis interdicit carnium eſu vinum, piſces, ova, & lacticia minime prohibuit.*

Verba Epi-
ſcopi ad
Abbatem.

Ad hæc Rupertus Abbas tale fertur Episcopo dediſſe reſponſum:

Reſponſio
Abbatis ad
Episcopum
Arnoldū.

Auctoritate Omnipotentis, ac totius Curie cæleſtis hunc vivendi modum aſſumpſi, ſciens vini, & exquiſitorum comestibilium uſum Monachis eſſe pernicioſum; quos maxime convenit à cunctis abſtinere delictijs. Si tibi modus iſte meus aut novus, aut ſuperſtitioſus: quid dicturus es de SS. Monachis, quos in Eremito, & Cœnobijs quondam pane cum ſale, & aquâ con-

tentos tantopere commendat, & veneratur Ecclesia? Abstinentiam nostram pro peccatis nostris divino imperio voluntariè assumptam temerè magis quam sapienter novam, & supersticiosam appellas: quæ & divinis scripturis est consona, & SS. exemplis confirmata. Tu verò si Pontifex es fidelis, si bonus pastor animarum, si denique culior fidei Christianæ, & DEI verus amator, subditorum tuorum parsimoniam voluntariè, atque DEO imperante pro ejus amore susceptam nobis indignis Christi servulis prohibere, vel interdicerè minimè debuisti, sed cohortari magis, ut in ea perpetuò maneamus. Videris mihi livore seductus carnalium Monachorum, qui cum nihil eorum sapiant, quæ DEI sunt, in suis voluptatibus putruerunt. Quid enim refert, quo nutriatur cibo brevi moriturum corpus, modo ad serviendum DEO necessarijs non destituatur viribus? Verum, ut Scholasticorum brevitate negotium omne absolvam, iste vivendi modus, quem Dominò precipiente suscepimus continuendum, aut bonus est, aut malus: Si bonus, certè non erit prohibendus, præsertim cum nulli præcipiatur invito, nec sit importabilis, aut difficilis eum spontaneà voluntate suscipientibus. Sin verò malus existimatur judicandus, cur in S. Joanne Bapt. commendatur, qui radicibus, & herbarum folijs victitabat, aut quare laudatur in Daniele captivo, & socijs ejus, qui spreto cibus regalibus leguminū esu vescabantur? Si malus inquam, & reprehensibilis est modus iste vivendi, quare S. Mater Ecclesia districtiorem SS. Antonij, Pauli, Macharij, Arsenij, Moysi, Pamponis, Onuphrij, aliorumque penè innumerablem abstinentiam Patrum & veneratur, & laudat? An vitam Sancti Martini Turonensis Archiepiscopi, & Monachorum sub ejus magisterio in Cænobio sanctissimè conversantium supersticiosam dicturus es, propterea quòd majorem, & districtiorem nobis abstinentiam tenuerunt? Memento precor te præfulem à Monacho factum, & noli bonum in nobis reprehendere, in quo nos tuo exemplo ut bonus pastor oves debueras confirmare. Quòd si nobis hunc vivendi modum omnino interdicerè volueris, nos Deo totis viribus obedire magis curabimus, quàm hominibus. His dictis siluit.

Episcopus autem prudenti hominis argumentatione paulisper confusus erubuit, & animi commotione dissimulatà Ruperto iterum dixit. Pro hac tua novitate divinum allegas imperium; sed nescientibus nobis veritatis nullum exhibes documentum. Si Dominus Deus præcepit hunc vivendi ritum, necesse fuerit, ut ostendas nobis commissionis tuæ mandatum. Mox Abbas de sinu extraxit libellum revelationum suarum ordinem, & feriem continentem in quo & multa, & varia susceptæ abstinentiæ præconia habebantur. Lecto autem coram omnibus publice libello, viri Deum timentes fidem dictis adhibuerunt, qui vero secundum carnem sapiebant, tanquam insanæ mentis hominem despexerunt. Quorum consilio depravatus Episcopus dixit ad Abbatem. Contra voluntatem Dei nihil intendimus ordinare, sed tuis fidem adhibere conscriptis revelationibus non probatis certè nec possumus, nec debemus; dicente Apostolo: Noli te omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. Tu ergo quale das signum, ut revelationibus tuis credere debeamus? Cui Abbas respondit: Non sum propheta, ut in conspectu tuo resuscitem mortuos, aut ignem faciam descendere de caelo. Sed missus sum à Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, ut dicta juramento confirmem, si tibi hoc videtur assumendum. Sin autem juramento standum non censes, paratus sum, quale præceperis, subire judicium. Consilio igitur suorum habito Præful Arnoldus Abbati confirmationem revelationem

Libellus revelationum
Abbatis legitur.

Verba Ruperti ad Episcopum.

Rupertus
Abbas re-
legatur in
Hassiam.

Opus. Ru-
perti hujus
Abbatia.

S. Otto Epi-
scopus mu-
nificus.

tionum suarum sub juramento, & Dominici Corporis, & Sanguinis per-
ceptione terribili comminatione indixit. Confirmatione peractâ Ru-
pertus Abbas ad Monasterium suum remittitur, & abstinentiam cum si-
bi adherentibus Monachis, quam inchoaverat, continuavit. Verum
Arnoldus Episcopus revelationibus Ruperti non solum non credidit,
sed etiam quomodo se vindicaret in eum, cogitavit. Nam etsi ex Mo-
nachis quidam senserunt cum Ruperto, major tamen pars constitutio-
nibus ejus vixit contraria. Tandem Abbas Rupertus per Spirenses Epi-
scopum de Lymburgensi Monasterio expellitur, & in Hassiam apud
Henricus ex Monacho Hirsaugiensi post Truvvinum Abbas, vir do-
ctus, & sanctus, cui scripserat Neometensis Episcopus rogans quatenus
Rupertum aliquamdiu secum detineret in suo Conventu, eumque à præ-
sumpta novitate revocaret. Sed illo in sua observantia perseverante, &
nihil, quoad vixit, aut vivere potuisset, ut sunt ova, nec quicquam aliud
præter legumina manducante; cum S. Henricus eum ad communia mi-
nimè revocare potuisset, litteras Episcopo scripsit de singulis cum eo
actis, petens eum ad Lympurg revocari, ne fratres in Breitenavv ejus
singularitate inficerentur. Quid verò deinceps cum eo factum sit, nobis
minimè constat. Solum hoc scire potuimus quoniam per multos annos
persecutiones plurimorum propter singularitatem suam perpeffus est,
nec tamen à suo proposito abstinentiæ recessit. Scripsit autem non sper-
nendæ lectionis opuscula, de quibus nos invenimus subiecta. De Laudibus
S. MARIE DEI Genetricis in Cantica Canticorum opus pulchrum
edidit, quod in lib. IV. distinxit. De contemptu mundi lib. II. De S. Joanne
Bapt. lib. I. Varias revelationes suas librum unum composuit, qui
omnium persecutionum suarum principalis causa fuit. Homilias etiam
nonnullas edidit, & varios ad fratres pro tempore sermones.

Anno Volmari Abbatis superscripto Henricus Imperator movit
exercitum contra Comitissam Hollandiæ sororem Lotharij Ducis Saxo-
num, quæ fratris potentiâ, & viribus confisa, rebellare imperio tenta-
verat. At Hollandini posteaquam se Imperatori non posse resistere cer-
nerent, ad obedientiam se cum sua principe subdiderunt animos geren-
tes inimicos, quamvis verba resonarent amica.

Eodem anno circa medium Quadragesimæ Henricus Imperator
cum quibusdam Principibus in Wormatia colloquium habuit. Cæteris
verò qui non aderant, hoc est Saxonibus, Bavaris, atque Boëmis ad Cu-
riam venire in Bambergam nonis Maij indicebat maximè propter Lo-
tharij Ducis insolentiam, qui nova quædam moliebatur contra Rempubl.
ob sororis suæ præscriptæ illatam ab Imperatore injuriam. Factus est igitur
conventus non modicus, in quo penè omnes Teutonici Princi-
pes (præter unicum Lotharium Ducem prænominatum Saxonix) turba-
ti confluerunt. Quibus singulis necessarios sùptus vel ex toto, velex parte
ministrabat S. Otto ejusdem urbis Episcopus, qui propter suam in
omnes munificentiam, & vitæ sanctitatem cunctorum favorem, & au-
ciliam Procerum Regni obtinuit. Quamvis pietatis studijs jugiter immen-
sus, & construendis Monasterijs continuè occupatus inter aulicos, con-
siliariosque Regni rariùs videretur. Quod etsi quidam invidi male sus-
picionis

spicionis notam interpretarentur, tamen servum suum custodiens Dominus coram omnibus fecit honorabilem.

Compositis rebus, & causis memorati Conventus, idem sanctus Præsul Otto Cæsari, & cunctis insinuavit Principibus, se nuncijs, & literis quàm pluribus à Duce Polonorum Bolislao vocatum, insuper etiam Domini Papæ Calixti permissione, atque benedictione directum ad gentem Pomeranorum, quam nuper idem Dux sibi finitimam bello subegerat, & ad suscipiendam Christi fidem compulerat. Cujus votis annuit tota, quæ convenerat, Ecclesia, annuit & Cæsaris aula, & omnes pijs conatibus salutem imprecabantur, & prosperitatem.

Eodem quoque anno Imperator cum magno suorum exercitu profectus est in Galliam circa medium mensis Augusti contra Ludovicum Regem Gallorum præbiturus auxilium socero suo Heinricho Regi Anglorum pro Ducatu Normanniæ adversum Gallos pugnaturus. Interea dum Cæsar jam congressurus cum exercitu moraretur in Gallia, nunciatur à tergo Wormatienses auxilio Friderici Ducis Suevorum contra voluntatem Imperatoris Buggonem suum Episcopum, qui Cæsaris mandato diu exulaverat, suæ restituisse Sedi, seque intra muros urbis paravisse cum omnibus necessarijs ad rebellandum. Quibus Imperator auditis, mox cum omni exercitu suo in Germaniam revertitur, Wormatienses cum maxima feritate obsidione vallat hostili, nec prius solvit obsidionem, quàm multis hinc inde conatibus expensis, multis etiam ante murum captis, vel occisis, ad ultimum deficientibus alimentis in urbe quinque millibus talentorum mulctati cives Episcopo Buggone rursus ejecto Imperatori se subijciunt.

Anno prænotato Calixtus Papa secundus moritur anno Pontificatus sui sexto nondum completo. Hic vir Beatissimus vitæ sanctimoniam simul, & eruditione scripturarum illustris, cum ad S. Jacobum Apostolum, qui dictus est major, singulari ferveret amore devotionis, scripsit de miraculis ejus pulcherrimum librum, in quo laudes ejus mirabili narratione concelebrat. Denique ob reverentiam ejusdem S. Apostoli Ecclesiam Compostellanam in Archiepiscopatum sublimavit, cujus ditioni Emeritanam provinciam subjecit. Primus S. Jacobi Archiepiscopus per Calixtum ex Episcopo factus erat Petrus Compostellanus, vir doctrinam, conversatione præclarus, qui nonnulla in laudem gloriosæ Virginis MARIE composuit.

Post Calixti mortem Lampertus Hostiensis Episcopus, de quo supra diximus, in Rom. Sedis Pontificem electus præfuit annis v. & mensibus totidem: vir in divinis scripturis eruditus, & morum conversatione venerandus, quem Honorium II. appellârunt, qui ab incunte, ut ferunt, ætate, in Romana Ecclesia nutritus, & in arduis legationibus sæpius comprobatus magnam agendorum experientiam habuit.

Hic Papa Honorius Pontium Abbatem Cluniacensem nostri Ordinis, qui S. Hugoni amico Hirsaugiensium fratrum successerat propter omnimodam scientiam scripturarum, morumque integritatem, & prudentiam in agendis, ad se Romam evocans Apostolicæ Sedis constituit Cardinalem. Qui Pontius hoc ipso anno per eundem Papam Honorium Apostolicæ Sedis Legatus Hierosolymam missus est, & Balduino rege Christi-

Buggo Ep
à worma-
tiensibus
recipitur.

Calixtus
Papa Se-
cundus
obijt.

Honorius
fit Papa Se-
cundus.

Christianorum à Saracenis capto multa per ſuam prudentiam in exercitu Chriſtiano utiliter conſuluit, & fecit.

S. Norbertus cæcam illuminavit.

Ad hunc Pontificem Honorium Sanctus Pater Norbertus Præmonſtratenſis Inſtitutor Ordinis profectus eſt, & honorificè ſuſceptus, ab eo novæ religionis ſuæ confirmationem cum privilegijs neceſſarijs obtinuit. Româ tandem digrediens venit in Orientalem Franciam, & in Herbipoli Civitate Francorum Miſſam die feſto Dominicæ Reſurrexio- nis in populi frequentia celebravit. Et ecce mulier quædam cæca manibus amicorum ad celebrantem adducitur, qui pro ejus illuminatione Servum Dei Norbertum deprecabatur. At homo Dei poſt ſumpta myſteria in faciem cæcæ mulieris ſufflavit; quæ mox viſum recepit. Quod miraculum cernentes quidam viri locupletes compuncti ſunt, qui & ſe, & ſua per manus ſervi Dei Chriſto tradiderunt. De quorum bonis Monafterium Cellenſe Præmonſtratenſis Ord. non procul à civitate Herbipolenſi per S. Norbertum conſtructum eſt, ſicut anno Volmari VII. dicemus.

M C X X V.

Schonawe Cœnobium fundatur.

Anno Volmari Abbatis V. Comes quidam de Lurburg Monafterium noſtri Ord. conſtruxit in præfato comitatu ſuo Lurburgenſi Tre- virenſis Diœceſis Schönaugia dictum, quod à Moguntia quatuor, & ab oppido Bacherach juxta Rhenum uno diſtat milliaribus, in pago, qui Haſſijs, & Rhenenſibus intermedius Einrich vulgariter nuncupatur. Conſumato Monafterio tandem Comes memoratus nomine Hildelinus fundator cingulum ſæcularis militiæ depoſuit, & Monachus factus pro Chriſto in Præpoſitura Lieporna primus Schönaugienſis Cœnobij Abbas ordinatus fuit; vir bonus, & in ſancta religione ferventiſſimus. Ad jactum quoque lapidis ad Meridionalem plagam à dicto Monafterio Monachorum aliud Cœnobium Monialium idem Comes religioſiſſimus conſtituit; in quo multitudinem Chriſto in charitate ſervientiſſimum collocavit; & tam Monachis, quàm Monialibus vitæ præſentis neceſſaria procuravit. Notandum verò quod Monachorum Cœnobium Schönaugienſe præfatum quondam erat Ord. noſtri Præpoſitura, in eodem loco, qui ab incolis terræ illius hodie Lieprona vocatur poſita, ubi nunc villula cum Parochiali Eccleſia ſita eſt, ad unius medijs milliaris diſtantiam à Schönaugia. Et hæc Præpoſitura fuit antiquitùs Abbatibus, & Monafterio S. Salvatoris in Schaff-hauſen pleno jure ſubjecta, ejus hodie nullum omnino comparet veſtigium.

Præpoſitum in Lieporna præpoſituræ conſtituitur.

S. Otto Pomeranos convertit.

Anno prænotato S. Otto Episcopus Babenbergensis Apoſtolicæ Sedis benediſtione ſuffultus ad preces Boleslai Ducis Polonia, ſicuti anno præcedenti concluſerat, profectus eſt in terram Pomeranorum, & Luticianorum gentilium, quos divinâ ſuffragante gratiâ ſuis prædicationibus ad fidem Chriſti converſos baptizavit, vivendi normam ſtatuit, Eccleſias conſtruxit, & Romanæ fidem, & doctrinam Eccleſiæ illos obſervare docuit. Nomina verò principalium locorum ſive oppidorum Pomeraniæ, quorum gentes convertit, & baptizavit, iſta ſunt: Cambrænsis Urbs, in qua nunc eſt Sedes Episcopalis. Stettinenſis, quæ poſtea Ducatus honore fuit ſublimata, Piriſ, Volin, Kolberg, Belgrado, Lubin, & Greſch: reliquorum nobis vocabula non occurrunt. In Stettin Eccleſia eſt Parochialis ad S. Ottonem. Alia quoque S. Jacobi Apoſtoli per ipſum

ipsum D. Ottonem constructa, estque Prioratus Ordinis nostri Abbati Montis Monachorum prope Bambergam subiectus.

MCXXVI.

Anno Volmari Abbatis vi. hiems fuit asperrima, quæ pecora simul, & homines sine numero consumpsit. In multis vivarijs pisces diurnâ glacie suffocati, & frigore perjerunt, & magna pestis animalium cum intemperie æris secuta fuit.

Anno Volmari Abbatis prænotato, Heinricus Imperator v. Pentecosten celebraturus apud Trajectum inferius, ægritudine Dracunculi, quamdiu celaverat superatus absque liberis moritur xxiii. die mensis Maij, cuius corpus ad Ecclesiam Spirensis relatum ibi cum suis progenitoribus in choro Regum tumulatur. Cujus uxorem nomine Mathildem Heinrici Anglorum Regis filiam Gansfredus Comes Andegaviæ postea sibi conjugem accepit, quæ peperit ei Heinricum, primò Ducem Normanniæ, postea Regem Angliæ.

Idem Heinricus Imperator ex forore Agnete duos reliquit nepotes, Fridericum videlicet Suevorum Ducem, & fratrem ejus Conradum, qui administrabat Orientalium Francorum Ducatum, Ecclesiæ Herbipolensi per ipsum avunculum suum violenter ablatum, quemadmodum anno Brunonis Abbatis x. est dictum.

Eodem igitur anno penultimâ die mensis Augusti convenientes apud Moguntiam Principes Imperij de Regis electione tractarunt. Inter consultandum quatuor deliberantibus occurrunt, quorum unus rectissimè videretur eligendus: Lotharius videlicet Dux Saxonie, Fridericus memoratus Dux Sueviæ, Lupoldus Marchio Austriæ, & Carolus Comes Flandriæ. Ex his tandem Lotharius Saxonum Dux communi Principum voto in Regem Romanorum fuit electus, & ad regnandum invitus compulsus præsentis Sedis Apostolicæ Legato, ductusque ad Aquasgranj iuxta morem coronatus est. Iste Lotharius patre Gebhardo genitus primò Comes fuit in Suppellingeburg, sicut diximus anno Brunonis primo, qui Duce Saxonum Magno sine filijs defuncto, ejus Ducatum gentis consensu, simul & honorè accepit. Qui factus Rex progeniem Imperatoris Heinrici valde humiliavit. Contra quem duo prænominati Duces Suevorum, Fridericus, & Conradus diu rebellaverunt: propter quod ab Honorio Papa II. tandem excommunicantur. Unde Conradus à fratre suo, & quibusdam alijs contra Lotharium in Regem erigitur, & cum exercitu profectus in Italiam coronâ ferreâ prope Mediolanum urbem apud Modociam coronatur. Indèque profectus ad partes Romanorum nihil obtinere potuit, sed in brevi pecunijs exhaustis ad propria remeavit, & dimisso Regis nomine, ac pace factâ cum Lothario, deinceps quievit.

Anno prænotato cum Rex Lotharius Ottonem, quem Boëmiam ordinaverat Ducem, vellet introducere, contra Udalricum, qui Boëmiam occupaverat; necesse fuit exercitum ejus transire per nemora: cumque milites sibi viam ferro pararent per silvam, hostes repente superveniunt, ipsumque Ottonem cum multis alijs viris fortissimis occidunt. Adelbertus Marchio captus est, & reliqui fugâ salutem quærentes projectis armis retrocedunt. His temporibus Fridericus Dux Alsatiæ nova quædam moliebatur contra Lotharium Regem, sed mox Principum judicio condemnatus est.

D d d

Hoc

Heinricus
Imp. obiit.

Rex Lotharius II. constituitur.

Conradus
Dux contra Lotharium erigitur.

Cuno Abb.
fit Episcop.
Ratisbon.

Hoc ipso anno Ratisponensis Ecclesie Pontifice mortuo, Cuno Abbas Monasterij S. Michaelis in Segeberg Ordinis nostri Colonienfis Diocesis (ad quem Rupertus Tuitiensis Abbas, de quo supra diximus, plures lucubrationes scripsit) in Pontificatu successit, & praeuit annis sex, vir doctus, & sanctus.

MCXXVII.

Anno Volmari Abbatis VII. Ruggerus Herbipolensis moritur, cui quidam Hezelinus succedens praeuit anno uno.

Carolus
Flandriae
Comes oc-
ciditur.

Anno Volmari Abbatis praenotato, Carolus Flandriae Comes, de quo antea diximus, Princeps magnus, dives, & potens, ac super omnes sui temporis Principes iustitiae amator, & defensor, ac executor, cum iuxta praecipuum divinum non pateretur vivere maleficos, impijs, & sceleratis hominibus quibusdam suis odiosus factus, die quadam in Ecclesia coram altari in oratione procumbens, ab ipsis iustitiae peruersis o-
foribus gladio perfoctus miserabili morte sublatus est.

Eodem quoque anno Wilhelmus Burgundiae Princeps simili temeritate, & crudelitate a suis domesticis, & proprijs hominibus occiditur. Hoc etiam anno Lotharius Rex magno suorum adunato exercitu oppidum Noricorum, hoc est Nurenbergam obsidione vallavit, & durante obsidione duobus mensibus, tandem sine effectu recessit. Causa obsidionis civium rebellio fuit, qui contempto Lothario, cum Conrado Francorum, Suevorumque Duce, qui se Regem gessit, seferunt.

Godfridus
Archiepisc.
Trevirenf.
resignat.

Anno etiam praescripto Godfridus Archiepiscopus Trevirorum morbo gravatus, & senio, posteaquam Ecclesiam sibi commissam in annum rexisset tertium, considerans vires suas tanto regimini haud satis convenire, consilio amicorum habito, Pontificatum Ecclesiae resignavit, ac anno deinceps uno, mensibusque duntaxat quinque supervivens mortuus est. Huic Megenherus in Archipraesulatu Trevirorum successit, qui apud Parmam non multo post in carcere, ut dicemus, obiit. Electus namque Romam profectus est, & ab Honorio Papa benigne susceptus, in Archiepiscopum quoque consecratus pallij, & legationis honore donatur. Reversus autem in Germaniam Conradum praenomina-
tum Ducem Suevorum, & Vice-Ducem Francorum se Regem, ut diximus, contra Lotharium gerentem, ex mandato Papae Honorij denunciavit excommunicatum. Deinde cum inthronizatus ad Ecclesiam suam Trevirensis, Clericorum suorum incontinentiam, & reprobos mores vehementer redargueret, factus est eis odiosus, multasque contumelias eorum suscepit. Qui tandem nimiã suorum temeritate fatigatus Romam ire statuit, ut Summi Pontificis auxilio defensus, insolentiam eorum comperceret. Cumque ad Parmam Longobardiae urbem pervenisset (Clericis suis ut ferunt prodentibus) a Duce Conrado, quem excommunicaverat, capus, & lumine oculorum privatus in carcerem retruditur, ubi nimiã cruciatus miseriam tandem primã die mensis Octob. in vinculis moritur, & in principali Ecclesia Parmensi a fidelibus suis tumulatur.

Megenher.
Archiepisc.
Trevirorũ
in carcere
moritur.

Eodem quoque anno Godebaldus Ecclesiae Traiectensis Episcopus fundator Monasterij S. Laurentij Mart. in Oesbruch, de quo supra diximus anno Volmari Abbatis primo, jam senio gravis, & laborum ponderare fatigatus, cupiens reliquum vitae suae in divino servitio totum ex-
pende-

pendere, Pontificatus sui anno xv. regimen Ecclesiæ deposuit, & præfatum ingressus Cœnobium sanctæ conversationis habitum suscepit. Qui Monachus factus biennio supervixit, & tandem in Festo S. Martini, anno Volmari Abbatis nono, moriens ibidem sepultus est. Cui Andreas in Pontificatu Trajectensis Ecclesiæ canonicâ electione successit.

Anno etiam præsignato mortuus est Rutgerus Archiepiscopus Magdeburgensis, cujus Pontificatum Arnoldus quidam non electus, sed propria temeritate inuasit. Qui cum armis crudeliter sæviret in omnes, qui tyrannidem ejus detestabantur, commoti cives postremò ad arma confugiunt; & impetu facto unanimiter ipsum occidunt. Arnoldo sic interfecto, legatione ad Regem Lotharium missâ, dari Pontificem Magdeburgenses postulârunt. Venientes itaque ad civitatem Neometensem Legati, ubi tunc manebat Rex Lotharius cum Principibus suis, civium suorum mandata exponunt. Divinâ ordinatione contigit Norbertum Præmonstratensis Ordinis Ducem, & Principem in eadem convocatione Optimatum esse præsentem, virum sanctum, & divinæ legis facundissimum prædicatorem, qui multos verbo, & exemplo convertit ad studia pietatis. Hunc ergo Rex Lotharius de consilio Principum Magdeburgensibus destinavit Pontificem, qui honore suscepto cum onere, & labore, utiliter Ecclesiæ præfuit annis septem.

Anno prænotato fuit Hæreticus quidam in Brabantia nomine Faucellinus homo perversus, & pestiferæ opinionis, qui etsi Laicus erat, multis tamen Clericis etiam doctissimis in disputando acutior videbatur. Is in oppido Antuerpiensi populum Christi à rectitudine immaculatæ fidei miserabiliter seducens sacri Ordinis Ministros sprevit, contempsit, & blasphemavit. Gradum Episcopalem, & Sacerdotalem nihil esse proposuit, Corpus quoque, & Sanguinem Domini nihil ad salutem animæ conferre sumentibus perditâ loquacitate palam confirmavit. Apparatu pretioso, deauratisque vestimentis opertus incedens, ac triplici funiculo capillis intortis, verbis deceptorij, ac lautis convivij trium hominum armatorum millium turbam, qui defensionis causâ illum sequebantur, suis erroribus alliciendo implicavit, quorum potentiâ cædes in suos contradictores passim exercebat. Crediderunt illi Antuerpienses, & eorum in circuitu vicini quasi omnes, miserumque illum summo venerabantur honore, ut missum à Deo, & sanctum, in tantum, ut aquam, in qua corpus manusque lavisset, aut pedes, pro maximis haberent reliquijs, cum tamen homo incontinentiæ esset tantæ, ut filias in præsentia matrum, sponsasque maritis intuentibus corrumperet, asserens hoc opus esse divinum, sanctum, & plenitudinem fraternæ Charitatis. Tandem post plures in populum disseminatos errores, & multas in Clerum perpetratas impiè cædes, cum die quâdam cum paucis in navicula (nescio quorsum navigaturus) resideret, ac suo more Gradus Ecclesiasticos blasphemaret, Presbyter quidam zelo catholice fidei, & pietatis succensus, tam fortiter sceleratum percussit in cerebro, quòd illicò expirans animum tradidit Diabolo, cujus minister fuit.

Mortuo, & apud inferos absque dubitatione sepulto impietatis Ministro, quoniam multos errore suo per plures annos docendo infece- rat. pessimum Diaboli semen, quod cordibus deceptorum tenacissimè

D d d 2

inhæsit,

Norbertus
fit Archie-
piscopus
Magdebur-
genfis.

Hæreticus
apud Ant-
uerpiam.

Hæreticus
occiditur à
Presbytero

inhæsit, non facile potuit extirpari. Propterea consilio & assensu Clericorum Antuerpiensium, interveniente Pontifice Diocesano, Ecclesia una sancto donatur Archiepiscopo Norberto Præmonstratensium Principi in oppido memorato, cum certis redditibus annuis ad construendum Ordinis sui Monasterium, quatenus error inveteratus ejus prædicatione de cordibus hominum seductorum tandem possit extirpari. Sanctus itaque Dei Servus venit Antuerpiam, locum acceptavit sibi oblatum, Monasterium construere cepit, prædicavit veritatis verbum quotidie, deceptos ab errore, Domino miserante, revocavit. Quo sanam prædicante doctrinam, viri, ac mulieres compuncti, Dominici Corporis Sacramentum, quod in cistulis, & foraminibus parietum, scissurisque murorum per decenium ex incredulitate, & contemptu absconderant, ad Virum Dei referentes cum lacrimis pœnitentiæ remedia humiliter subjerunt, & ad fidem sanctam reversi sunt.

Durandus
ex Monacho
Episcopus.

Claruit his temporibus in Gallia Durandus ex Monacho Ordinis nostri Episcopus Tolosanus, vir magnæ Religionis, & prudentiæ, qui non minùs exemplo sanctæ conversationis, quàm verbo gregem sibi commissum ad normam Christianæ pietatis instituit. Hic primò in Cluniacensi Cœnobio Monachus fuit sub S. Hugone Abbate, deinde crescentibus meritis Abbas Mosiacensis Cœnobij ordinatus fuit, & postremò, sicut diximus, vocatione Cleri canonicâ Tolosanus sublimatur Episcopus.

Godgannus
ex Monacho
Episcopus.

Eodem quoque tempore Godgannus sub Abbate S. Hugone memorati Cluniacensis Cœnobij Monachus, Sanctonicensis Ecclesiæ Præsul factus est, vir tam in divinis scripturis eruditus, quàm in sæculari literatura doctissimus; nec minùs conversationis puritate venerandus.

Claruit his etiam temporibus S. Malachias ex Hibernia natus, primùm Monachus Wintoniensis nostri Ordinis in Anglia, & postea Episcopus in Lesmor Civitate Mummonia, vir multarum virtutum, qui plura Cœobia Cisterciensis Ordinis fundavit, & postremò in Clara vallensium Cœnobio ad Dominum migravit ibidem sepultus: cujus vitam miraculis plenam D. Abbas Bernardus conscripsit.

MCXXVIII.

Malachias
ex Monacho
Episcopus.

Anno Volmari Abbatis VIII. Indictione Roman. VI. mortuus est Rupertus Abbas Monasterij S. Petri in Erphordia, vir devotus, & in rebus Monasticis exercitissimus. Hic nos credimus in nomine factum errorem, & Burchardum eum fuisse nuncupatum, non Rupertum: nam ut anno S. Wilhelmi Abbatis XIV. & Gebhardi XI. dictum est, Burchardus, non Rupertus cum XII. Monachis ad Erphodiam ex Hirsaugiana Congregatione fuit destinatus: qui Ecclesiam in monte S. Petri consumavit à D. Patre Wilhelmo captam. Mortuo igitur hoc anno Abbate præfati Monasterij (sive Burchardus fuerit, sive Rupertus post illum) Wernherus hujus Cœnobij Hirsaugiensis Monachus Fratrum electione successit, vir multæ religionis, prudentiæ, & honestatis, qui suâ industriâ aquæ ductum ad ipsum Monasterium cunctis mirantibus introduxit, & Capellam retro principalem Ecclesiam ad Orientem ædificavit; in cujus pariete imaginem ejus cum inscriptione nominis vidimus depictam.

Anno prænotato penè finito, Rex Lotharius Natale Domini in Herbipoli cum suis Principibus celebravit, ubi nuncio accepto, quod

Contra-

Conradus Frater Ducis Suevorum (sicut per anticipationem supra diximus) nomen sibi Regium apud Allatiam usurparet, congregato exercitu Neometensem civitatem obsidione vallavit, fugato Sigefrido Præsule, qui Anoldo supradicto successit. Conradus Dux in eadem urbe præsidia sua locaverat. Sed paucis in obsidione consumptis diebus, interventu Principum concordia inter Regem, & Spirenses facta est, acceptisque obsidibus Lotharius recessit.

His temporibus sub Honorio Papa II. Presbyter quidam, & Eremita nomine Arnolphus Romam venit, dicens publicè Angelum Domini apparuisse in Eremitorio sibi vigilanti, ac præcepisse ut Romam prædicaturus adiens vitia Clericorum ex parte Dei confidenter argueret. Venit, prædicavit, fastum, superbiam, luxum & avaritiam Cleri, & maxime Cardinalium, acriter cœpit redarguere, & eos ad imitationem conversationis Christi, & Apostolorum cohortari. Qui cum prohibitus prædicare non cessaret, nocte quâdam occultè captus, in Tyberimque projectus suffocatur.

Anno quòque memorato Megenherus Archiepiscopus Trevirorum propter Clericorum suorum rebellionem cœercendam ad Honorium Papam II. profecturus, ut suprâ diximus, à satellitibus Ducis Conradi, quem excommunicaverat, in itinere capitur, & oculis effossis Parmâ in custodiam mittitur, in qua miseriam suam hoc anno Calend. Oct. morte commutavit in Ecclesia Parmensi sepultus. Cui Adelbero in Archipræsulatu Trevirorum succedens præfuit annis xxiv. homo secundum sæculi æstimationem prudens, & magnæ apud hujus mundi Optimates reputationis.

Eodem anno Lotharius Rex magno suorum coadunato exercitu Ulmam Sueviæ oppidum obsidione vallavit. Cum introitum peteret, Ulmenses, qui partes Conradi sequebantur, clausis portis Lothario tale dederunt responsum: Non te intromitemus, ô Princeps alienigena, quoniam hoc oppidum non Saxonibus, nec Italis, sed Suevorum Ducibus, & Regibus Romanorum (qualem te non esse constat) patere consuevit. Quibus motus Rex Lotharius suburbana imprimis ignibus cremans subvertit. Deinde muros oppidi machinis concutiens ad solum dejecit, multisque Civium occisis, & captis, alijsque fugâ elapsis urbem obtinuit, evertit, & destruxit, civésque in sua verba jurare compulit.

Anno etiam prænotato, Hezelino Herbipolensis Ecclesiæ Pontifice apud Bambergam mortuo atque sepulto, Embricho mox electione fratrum canonicâ Episcopatum suscepit vir omni probitate conspicuus, qui multa bona fecit pro Dei honore in construendis, & renovandis Ecclesijs, & Monasterijs. Huic Pontifici Rex Lotharius Ducatum Francorum, quem Henricus Imperator V. nepoti suo Conrado Suevorum Duci contulerat, sicut supradiximus, restituit; & Herbipolensi Ecclesiæ in perpetuum confirmavit.

Eodem anno S. Norbertus Monasterij Cellensis propè Herbipolim in descensu Mogoni fluminis prima fundamenta jecit, tertiâ videlicet die mensis Martij; fundum offerentibus, & impensas his, qui anno Volmari Abbatis IV. in illuminatione mulieris cœcæ fuerant, in Domini timore compuncti, & ad Ordinem Præmonstratensium conversi. E quorum nu-

Arnoldus
Presbyter
Romæ præ-
dicat.

Adelbero
fit Archiep.
Trevirorum.

Embricho
fit Episcop.
Herbipol.

rum numero primus ejuſdem loci Præpoſitus fuit nomine Joannes, qui & ſe pridem, & ſua in manus S. P. Norberti reſignaverat. Cujus devotionem ejus germani Heinricus, & Libolfus ſecuti, multa pro Dei-gentris honore ad conſumationem dicti Monaſterij contulerunt.

MCXXIX.

Anno Volmari Abbatis IX. Lotharius Rex civitatem Spirenſi. Conradi partes denuo ſequentem ab Idibus Julij uſque ad Calend. Januarii fortiffimâ iterum obſidione vallavit, nec deſtitit, donec eam potenter tandem obtinuit. Dux Conradus in eadem urbe tanquam tutiſſimo præſidio inventus, & ad Regem Lotharium perductus veniam commiſſorum in eum humiliter petijt, & impetravit.

Eodem anno Halberſtattentiſis Epiſcopus Otto delatione Canonicoꝝ ſuorum Romæ apud Honorium Papam accuſatus de Simoniâ, & convictus, quòd pro conſecratione cujuſdam Eccleſiæ xxx. ſolidos accepiffet, tanquam Simoniacus per ſententiam Patrum à Pontificatu deponitur. Cui ex Canoniciſis ejuſdem Eccleſiæ quidam Rudolphus nomine ſucceſſit. Heinricus etiam Virdunentiſis Epiſcopus per Matthæum Albanenſem Epiſcopum, & Apoſtolice Sedis Legatum pro ſimili tranſgreſſione deponitur.

Anno prænotato Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, qui eatenus Regi Lothario rebellis, & contrarius extitit, reconciliatus in gratiam ejus ſuſcipitur. Bruno quoque Præful Argentinenſis ab Eccleſia ſua jam per annos quatuor expulſus, interventu Reginae, & Epiſcoporum in gratiam à Rege recipitur.

Anno etiam memorato, quintâ die menſis Octobris audita fuerunt tonitrua nimis terribilia, conuſcationes quoque, & fulgura ſubſecuta cum tempeſtate ingenti, quæ tam in ædificijs, quàm in arboribus, & vineis multa mortalibus intulerunt damna cum plurimum interitu pecorum.

Eodem anno in feſto Dominicæ Reſurrectionis Philippus Ludovici Regis partium Gallicanarum filius adhuc puer cum magna ſolemnitate in Eccleſia Rhemorum, adhuc patre vivente, idque jubente coronatur in Regem, & inungitur more Gallorum. Qui puer vix biennio poſtea, cum die quâdam in civitate Pariſiorum in equo per plateam regio veheretur apparatu, porcellus à caſu diſcurrrens, & fugâ, ut fieri ſolet, turbatus, pedibus caballi ſe ſubmiſit, & regulum cum equo præcipitem dedit; qui fractâ cervice in eodem loco exſpiravit. Et ob hanc rem porci omnes ab ipſâ civitate decreto Regio arcentur.

Anno prænotato Eckardus ex Monacho hujus Hirſaugiani Cænobij primus Abbas Monaſterij S. Laurentij Martyris in Vraugia Herbiſpolenſis Diœceſis, de quo ſupra diximus anno Brunonis XIII. ſequentem epiſtolam ſcripſit Volmaro Abbati.

Digniſſimæ Reverentiæ, Reverendiſſimæq; dignitatis Viro, Domino Volmaro Hirſaugienſium Abbati, eiſdemq; præcipuis nimirum membriſ capiti ſummi frater Eckardus, cæteraq; S. Laurentij perexigua familia: ſi quid vobis orationum, vel ſervitutis pauperum xenia. Spirituali plurimarum filiarum Monaſtri Hirſaugiæ, nondum ad incrementum perducta gratias agit ingenti ſua cæteris jure deſpectior Vraugia: arbitris etiam internis ſemper implorat præmia pro

Spira capitur, Conradus reconciliatur.

Fridericus Archiep. Colon. reconciliatur

Exemplar Epiſtolæ Eckardi ad Volmarum Abbatem.

beneficijs scilicet nobis à vestra clementia gratis impensis : per quæ tam erga nos, quàm super cunctos necessitatem patientes materna viscera realudere soletis. Ad hæc iterum, iterumque pedibus vestris advolui mente, & spiritu petitionem nostram continuam auribus clementie vestrae suggerere non cessamus : quatenus novellam plantationem Vineæ Domini Sabaoth, quam apud nos initiastis, neglectui non tradatis, sed servo Domini Ottoni Episcopo (cujus legatione fungimur) hanc sue charitatis vicissitudinem repedentes, aliquem nobis ad præsens seniore destinatis, quem vos seniore noveritis; cuius apud nos irrigetur solertiâ, quod benignè plantastis. Remissimus etiam fratrem præsentem Conradum, paupertatem nostram tadio habentem, vestrisque spirituales divitias spiritu fervente suientem, testimonium illi perhibentes, quod fideliter nobiscum conversatus tam honori vestro, quàm utilitatibus nostris non sepniter hæctenus per omnia insudaverit. Nunc autem, ut omnimodis affirmat, obitus sui vicinitatem pertimescens, in vestro sanctissimo Collegio potissimè, ac novissimè inveniri desiderat. Valeat, vigeat, & in æternum coram Christo vivat sanctitas vestra, inveniat etiam nunc, & semper in conspectu vestro gratiam humilitas nostra.

MCXXX.

Anno Volmari Abbatis X. Præpositura Monasterij S. Joannis Baptistæ in Ringaugia Moguntinæ Diocesis propè Vinicellam Ordinis nostri, quam Ruthardus Archiepiscopus Moguntinus anno Brunonis tertio fundavit, & Monasterio S. Martyris Albani subjecit, per Adelbertum Archipræsulem Ruthardi successorem de consensu Wernheri Abbatis prædicti Cœnobij D. Albani Martyris in Abbatiam erigitur, & Eigilvvardus Abbas ibidem primus ordinatur, vir tam in divinis scripturis eruditus, quàm morum honestate præcipuus.

His etiam temporibus Comites de Lurburg Monasterium Ordinis nostri construxerunt in loco, qui dicitur Gronavve, in finibus Trevirensis Diocesis uno à Schönaugiensi supra dicto Cœnobio, & duobus à Rheno distans milliariibus, in quo Monachos sub imperio conversantes Abbatibus posuerunt, quibus vitæ necessaria ad serviendum Domino secundum D. Patris nostri Regulam providerunt. In hoc Monasterio Caput S. Sebastiani Martyris ostenditur, quod fundatores dono Papæ Honorij II. Româ transtulisse perhibentur.

Anno prænotato Honorius Papa II. moritur, cui mox in Pontificatu Patrū electione successit Innocentius II. patriâ Romanus, Gregorius antea dictus, & præfuit annis tredecim, vel, ut quidam scribunt, decem & octo; vir certè optimus, & qui multa sustinuit adversa, & tamen à bonis studijs non cessavit. Nam Romani quidam seditiosi muneribus, & promissionibus corrupti quendam Petrum Leonis contra Innocentium Antipapam erexerunt, qui Anacletus dictus est, & magnam Ecclesiæ turbationem fuscitavit. Unde Papa Innocentius Romanorum perfidiam declinans per Pisas venit in Galliam, & duobus celebratis Concilijs, altero in Taramonte, altero Leodij omnium sententiâ Pontificum verus Christi Vicarius declaratus est, & Petrus Leonis condemnatus.

His temporibus Fridericus Archiepiscopus Colonienfis Monasterium in Insula Rheni Fluminis inter Bunnam & Andernach, quæ dicitur Insula Rolandi, construxit, in quo multitudinem Virginum Omnipotentis

Seniorem
sibi petit
transmitti.Conradum
remisit
Hirsaugiâ.Præpositu-
ra S. Joan-
nis fit Ab-
batia.Innocentius
secundus
fit Papa.

tenti Deo in Caſtitate mentis, & corporis famulantium collocavit, quibus & neceſſaria ſecundum Regulam noſtri Ordinis providit.

Eodem anno Nürenbergenſes ad obedientiam Regis Lotharij venientes Conrado, ſicut diximus, jam humiliato caſtrum cum oppido tradiderunt.

Circa hæc tempora Comes quidam Foburgienſis Deum bonorum ſuorum cupiens habere hæredem, nobile illud Ordinis noſtri Monafterium Richenbach in Bavaria novum à fundamentis conſtruxit, in quo Monachos ſub Abbatæ ſecundum Regulam ſancti Benedicti Deo ſervientes poſuit, quibus vitæ hujus neceſſaria copioſè contulit.

His etiam ferme temporibus Otto Comes de Scheurin in Bavaria conſentientibus ſibi, & cooperantibus Conrado Comite, Ottone Comite Dogaviæ, Ottone altero Comite Palatino in Witelſpach, & alijs octo Comitibus, qui partem, titulum, & inſignia de ipſo Caſtello & Comitatu Scheüren ferebant, deſtructo Caſtro, quod jam nimia vetuſtate minabatur ruinam, Monafterium Servorum Dei Ordinis noſtri in eodem loco conſtruxit, & magnificè dotavit, quod conſecrari ſub honore beatiſſimæ Dei-genitricis Mariæ obtinuit.

Erat unus inter Comites homo rudis, & temerarius nomine Arnoldus, qui nec pretio, nec prece induci potuit, ut jus ſuum Beatiſſimæ Virgini Mariæ pro conſtruendo Servorum Dei Cœnobio reſignaret. In illo autem die, quo cæteri ſuas portiones publicâ traditione Matri Miſericordiæ hilariter obtulerunt, temerarius ille furore ſuccenſus, propriam cum ira chirotecâ projecit in aëra dicens: *Veni Domine Diabole, cape meam hujus Caſtelli portionem, quoniam omne jus meum ad illud tibi do, trade, & liberâ voluntate reſigno.* Mox Dæmones inviſibiles chirotecâ viſibilem rapientes per aëra deportârunt cernentibus cunctis; quæ nuſquam poſteâ comparuit. Nec dubium, qui chirotecâ abſtulit, etiam offrenſis animam exſpectavit.

MCXXXI.

Anno Volmari Abbatis xi. Indictione Romanorum ix. Lotharius Rex cum Archiepiſcopis, Epifcopis, Abbatibus, Prælatiſ, atque Principibus multis ad Concilium ſuper tunc præſenti ſchiſmate inter Innocentium & Anacletum apud Leodium Urbem Lothatingiæ indictum protectus, advenientem illò ipſum Papam Innocentium ſumma cum Reverentia ſuſcepit, cui & contra Petrum Leonis in vaſorem Sedis Apoſtolicæ ſuffragium promiſit. In quo Conſilio Innocentius Papa verus Chriſti vicarius omnium conſenſu acclamatus eſt; in vaſor autem Sedis ſanctæ condemnatus.

Eodem anno Rex Lotharius Synodum aliam Epifcoporum & Abbatum in Moguntia convocari fecit, cui & ipſe cum certis principibus interfuit; in qua Matthaſ Albanenſis Epifcopus Apoſtolicæ Sedis jam per triennium in Germania Legatus præſedit. In hac Synodo fuere præſentes inter multos, quorum nomina ignoramus, Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinus; Adelbero Archiepiſcopus Trevirorum, S. Otto Epifcopus Bambergienſis, Embricho Epifcopus Herbipolenſis, Buggo Epifcopus Wormatienſis, Sigefridus Epifcopus Spirenſis, Bruno Epifcopus Argentinenſis, Rudolphus Halberſtatienſis Epifcopus, Bernhardus Epifcopus

Comitis
impia te-
meritas.

Partem ſuam
diabolo
tradit.

Celebratur
Synodus
Moguntia.

scopus Padelbornensis: Udalricus quoque Abbas Fuldenfis; Volmarus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis, & alij multi Abbates. Iterum Innocentius verus Papa declaratus est.

Anno prænotato mortuus est Fridericus Archiepiscopus Colonienfis fundator, ut supra diximus, Cænobij Sanctimonialium Ordinis nostri in Insula Rolandi, vir prudens, & in cunctis actionibus suis magnificus Regibus metuendus atq; Principibus. Obijt autem in Castello Wolckenberg dicto, quod ipse novum à Fundamentis in cacumine altissimi montis prope Drachenfels construxerat; illoque infirmus pro aëris salubritate portari se fecerat. Ad hunc Præsulem Rupertus Tuitienfis plura scripsit Volumina. Postquam judicio Regis ac Principum ac trium Cardinalium in Colonia tunc nomine Papæ Innocentij præsentium Bruno Præpositus S. Gereonis Adolphi Comitis de Altrænae Filius contra Voluntatem plurimorum in Archiepiscopus Colonienfis Ecclesiæ ordinatus est.

Eodem quoque anno Lotharius Romanorum Rex expeditionem movit in Danos, & Sclavos Romano Imperio, & suis mandatis rebelles, & inobedientes, quos facto congressu compulit obedire.

Hoc ipso etiam anno Egbertus Monasterienfis Ecclesiæ Præsul quondam Decanus principalis Ecclesiæ Colonienfis, in ordinatione Brunonis Archiepiscopi Coloniae ex istens ibidem moritur: cujus cadaver ad propriam relatum in suâ Ecclesiâ sepelitur; cui Wernherus successit.

His quoque temporibus Comes quidem dives, & potens de Monte Belgradi, Monasterium Ordinis nostri fundavit sanctæ Walpurgis in Diæcesi Argentinensi, quod tribus à Wissenburgio, & uno ab Hagenavve oppido milliariibus distat: in quo Monachos sub norma Sancti Benedicti, & imperio Abbatis Domino militantes continuè collocavit; quibus, & hujus vitæ necessaria pro sustentatione copiosè ordinavit. Aliud quoque Cænobium Sanctimonialium, quod Bibelis nuncupatur, haud procul à dicto Sanctæ Waldpurgis Monasterio idem Comes in eodem nemore constituit, in quo multitudinem Virginum Omnipotenti Domino in puritate mentis, & corporis die ac nocte famulantes posuit, quibus etiam prædia, & redditus annuos competentes dedit.

Prima hujus Cænobij Abbatissa memorati Comitis, & Fundatoris unica filia fuit, quæ desiderio cælestis patriæ succensa, mundum pro Christi amore sprexit, & sanctum Monasticæ conversationis habitum suscepit: Nomen ejus Gunthildis erat, quum Incolæ symoputo Vocabulo Sanctum Guntum consueverunt appellare. Hæc Virgo sanctæ conversationis Verbo, & exemplo gregem sibi commissum ad pietatem instituit, & miraculis clara tandem sexto Calendas Decembris in Domino quievit, sepulta in medio Ecclesiæ ante altare Sanctæ Crucis.

Claruit his quoque temporibus in hoc Hirsaugiensi Cænobio Conradus Monachus, qui nomen suum ex humilitate occultans peregrinum se in suis lucubrationibus nuncupat. Beati Wilhelmi quondam auditor atque discipulus, vir in omni scientiâ scripturarum doctissimus, & non minus Religionis observantiâ venerandus: qui sub nomine peregrini scripsit multa præclara opuscula; de quibus extant subjecta: Ad Theodoram Sanctimonialem opus insigne, quod prænotavit Speculum Virginum

Ecc

libri

Fridericus
Archiepi-
scopus Co-
lonienfis
moritur,

Egbertus,
Episcopus
Monaste-
rienfis mori-
tur,

Opuscula
Monachi
Conradi
Hirsaug.

libri VIII. In Evangelium per circulum anni Volumen magnum. De Vita Spiritus & Fructu Mortis liber 1. Et alius quidam prænotatur Matricularum lib. 1. Didascalon liber 1. De Musica & differentia Tonorum lib. 1. De Iulius S. Benedicti carmine heroico lib. 1. Sermones quoque varios. Homilias, simul & Epistolas plures eleganter composuit, quarum mentionem facere singulatim nimis prolixum foret, & tædiosum.

Multis annis monachorum scholis in hoc Cœnobio præfuit, & plures discipulos insignes, atque doctissimos educavit. Obijt tandem Octogenerarius cum Patribus suis in majori Cœnobio ut servus Christi sepultus.

MCXXXII.

Anno Volmari Abbatis duodecimo, indictione Romanorum decima: moritur Druttvvinus ex Monacho Hirfaugiana Congregationis primus Abbas in Breytenauve homo sanctæ ac religiosissimæ conversationis: anno regiminis sui tertio decimo: & in Ecclesia Monasterij sui cum debito sepelitur honore: de quo latius est dictum anno Brunonis Abbatis quarto decimo. Multa fecit bona pro Dei honore & plures ad consummandum structuras Monasterij à Wernhero Comite inceptas, labores hilari devotione impendit. Quo mortuo fratres curâ pastoris destituti legationem miserunt ad Volmarum hujus Cœnobij Venerabilem principem postulantes sibi Abbatem in locum demortui quem judicaret idoneum destinari. Qui Seniorum suorum præhabito ex more consilio misit eis sanctum & Venerabilem monachum nomine Henricum in divinis scripturis egregiè doctum, & morum integritate sine dubio sanctissimum. Qui veniens ad Breytenauve cum magna exultatione à fratribus susceptus & per Adelbertum Archiepiscopum Moguntinum in Abbatem ordinatus præfuit gregi dominico sibi commissio in sollicitudine Charitatis.

Qui cum esset in omni varietate scripturarum eruditus scripturæ parvæ utilitatis opuscula, è quibus nos vidimus subnotata. Dialogum in persona divitis epulonis & Lazari pauperis in sinu Abrahæ quiescentis, quem prænotavit de Contemptu sæculi. Et sic incipit: *Instabilis regni amator.* Volumem quoque multarum orationum supplicatarum ad Deum & sanctos, quod sic incipit: *O ærumnosa mea anima.* Librum de Conflictu virtutum, & vitiorum: qui sic incipit. *Cum varijs vitijs vitium discere scriptis.* De duodecim abusibus librum unum, qui sic incipit: *Constat abusa bis sex mundi fore dicta.* De lapsu primi hominis & rædio exilij præsentis librum unum, qui sic incipit: *Ad peccare serpens.* De Civitate cujus nomen Dominus ibidem librum 1. qui sic incipit: *Quo non fructus libeat cum scribere munus.* De habitu Virginum lib. 1. qui sic incipit: *Christe salus cuncta.* De memoria mortis lib. 1. qui sic incipit: *Quid genus humanum.* De Domino nostro JESU Christo lib. 1. Qui sic incipit: *Pauperior cunctis ego.* De Mystico Corpore Christi lib. 1. Qui sic incipit: *Urbem Catholicam.* De fide Catholica. lib. 1. qui sic incipit: *Filius Ecclesie verus qui percipit esse.* Flosculorum lib. 1. qui sic incipit: *More meo campo Scriptura.* Hymnorum vario generis metri lib. 1. qui sic incipit: *Laus tritici sit mortuo grano.* Epistolarum ad diversos lib. 1. qui sic incipit: *Venerabili Carnotensium Præsuli Henrico pro possibilitate.* Hujus viri sanctissimam vitam virtutibus, & miraculis plenam in sæpe dicto Monasterio Breytenauve, vidimus sermone luculento descriptam.

Druttvvinus ex Monacho Hirfaugiensi Abbas primus moritur.

Sanctus Henricus fit secundus Abbas in Breytenauve.

Multi quoque viri nobiles, & docti famâ sanctitatis ejus excitati sub ejus magisterio militaturi Domino, sanctæ Conversationis habitum susceperunt. Inter quos non ultimo loco videtur æstimandus Comes de Schönberg Adelbertus dives, & potens in sæculo: qui contemptis mundi honoribus, divitijs, & voluptatibus cunctis, pro Christi amore in eodem Cœnobio Monachus factus est, & in tanta vitæ sanctimonia vixit ut mortuus miraculis coruscârit. Ad hunc Henricum Rupertus Abbas Lynzburger per Sigefridum Spirensem Episcopum ut supra diximus volmari Abbatis anno quarto propter novam vitæ singularitatem corrigendus, fuit relegatus.

Anno prænotato S. Hugo Granapolitanus Episcopus primâ die mensis Aprilis quæ fuit sextâ feriâ ante Dominicam Palmarum moriens ad Dominum migravit. Anno ætatis suæ octuagesimo Pontificatûs autem quinquagesimo secundo: cujus vitam virtutibus, & miraculis plenam Gvvigo quintus Carthusiæ Prior descripsit.

Eodem quoque anno mortuus Cuno ex Abbate Monasterij sancti Michælis in Segeberg Ordinis nostri Colonienfis Diæcesis, Episcopus Ratisponensis Ecclesiæ in Bavaria, de quo diximus anno Volmari Abbatis 6. & in Ecclesia sua Principali, cum honore sepelitur debito: vir certè doctriâ & morum integritate venerabilis, qui non minus exemplo bonæ actionis, quàm verbo dignum se pastorem præbuit.

Hoc ipso quoque anno mortuus est Bertholdus Hildesheimensis Episcopus in Saxonia cui Bernardus ejusdem Ecclesiæ Præpositus Fratrum Electione successit, qui Corpus S. Gothardi quondam ex Monacho N. Ord. Hildeshemensis Episcopi de terra levavit cum ingenti honore, & exultatione populi Civitatis, quod annis nonaginta quinque in tumulo jacuerat sepulchrum; de cujus ordinatione diximus anno vacante Monasterio XXI.

Circa hæc tempora contigit res nova, & satis miranda in prænominata Hildeshemensî Diœcesi. Nam spiritus quidam corpore fictitio assumpto quotiens voluit multis hominibus in habitu rustico apparuit, visibilis pileum gestans in capite unde & pileatus, in vulgari verò Saxonico Hudekin ab incolis terræ palam dicebatur; loquens & ridens delectabatur esse cum hominibus; ad interrogata respondit & plura miranda fecit. Burchardo Comite de Luca per Hermannum Comitem de Wynsenburg interfecto cum in ultionem hujus necis multi Principes & nobiles non injuriâ persequerentur homicidam, fugere tandem & exire Patriam miser compulsus fuit. Quâdam nocte cum Nobiles certi condixissent inter se ut Castellum Wynsenburg per scalas appositas invaderent, & suis usibus manciparent; præfatus Spiritus Hudekin dormientem in stratu suo Bernhardum Hildesheimensem Episcopum (cujus feudum erat Comitatus occisoris) accedens suscitavit eum dicens: surge Papa, quoniam nisi properes cito, castrum Wynsenburg per tales sic & sic nocte istâ capietur; Qui consurgens milites ad præoccupandum castellum misit, quibus occultè ingressis, & munitionibus præoccupatis statim etiam veniunt conjurati, qui omnes à prioribus quos adesse nescierant, sunt interfecti. Et tali modo Castellum cum ipso Comitatu Hildesheimensi accessit Ecclesiæ. Imperatorum postea interveniente consensu, denique spiritus ille memoratum Pontificem & plures alios de multis sæpe vel agendis vel cavendis

Comes de Schönberg fit Monachus.

S. Hugo Episcopus Granapolitanus.

Cuno Episcopus Ratisponensis obiit.

Bertholdus fit Episcopus Hildesheimensis.

Hudekin spiritus in Saxonia plura fecit miranda.

Comes de Wynsenburg occiditur.

Spiritus dormientem avissa Episcopum.

Spiritus co-
quinaam
frequentat
Epilcopi.

Spiritus in-
terfecit &
coxit pue-
rum.

Spiritus af-
fatura buf-
fonibus
stillat.

Cocus spi-
ritum cum
veru verbe-
rat.

Historia e-
juſdem spi-
ritus ridi-
culoſa.

dis opportunè ſatis præmonebat. In Curia quoque ipſius Epilcopi ſpiri-
tus morabatur frequentius, & in coquina ſapius apparebat loquens, & mi-
niſtrans cocis aliquando viſibiliter, aliquando verò inviſibiliter. Nemi-
nem læſit, neminem offendit, niſi prior ipſe læſus. Injuriarum tamen
memor contumelias & irriſiones graviter ſerebat, vicem inferentibus re-
pendens. Unde cum tandem ex conſuetudine familiarior factus in co-
quina jam à nemine timeretur, puerulus quidam miniſtris ſubſerviens il-
lum capit contemnere: contumelijs afficere & ſubſannare, ac quotiens
potuiſſet immunditias coquinae in eum projicere. Qui cum ſeniorẽ cu-
linae ſapius rogaret quatenus puerum ab inſolentia compeſceret; ille re-
ſpondit tu ſpiritus es, & puerum times? Cui dæmonium: niſi puerum citò
retraxeris ab inſolentia ſua, brevi quantum illum timeam, experieris.
Non poſt multos dies cum nocte quãdam puer in Coquina ſolus dormiret,
venit ſpiritus & ſuffocatum illum in fruſtra conſcidit, ollaque impoſi-
tum, aqua que ſuperinfuſa, ut moris eſt ad ignem coquere cepit. Quo factus,
magnis vocibus cocum inſclamitans dixit, veni coce deſcende velociter,
& vide pulmentarium, quod tibi ad ignem compoſui. Territus cocus ad
crepitum ignis & vocem ſpiritus, ſurrexit, deſcendit, puerum ſectum in
olla reperit. Qui ſtupore concuſſus & furore commotus ſpiritus maledi-
cere cepit. Cui ille ceſſa iniquit à maledictis ne tibi ſimile contingat, quo-
niam ſapius te rogavi, ut ab injurijs meis compeſceres illum & nolui-
ſti: Ecce nunc vindicavi contumelias meas neceſſitate compulſus.
Paucis exinde diebus elapſis cum aſſatura carnum verteretur ad ignem
intravit ſpiritus, & coquo in ſuo miniſterio, ut fieri ſolet, mente aliorum
diſtractum, ſpiritus è pera, quam ad latus portare videbatur, magnos
pingues, & horribiles nimium bufones extraxit: & manibus fortiter com-
preſſos putredinem eorum cum veneno aſſaturis inſtillavit dicens: Pro
maledictionibus tuis coce, do tibi hanc pinguedinem venationis mez.
Ad cujus vocem cum ille converſus vidiffet, quod agebatur per ſpiritus
animo turbatus veru cum aſſaturis arripuit, & in ſpiritus fortiter cum
impetu vibravit. Ille ſe fingens iratum dixit ad cocum: ſciens ſcito, quod
hanc irrogatam nunc per te mihi contumeliam non tranſibo inultam,
ſed opportunè vindicabo. Conſueverat autem ſpiritus noctu in turribus
& muris caſtelli Pontificis more vigilum conſiſtere & clamare, ipſoſque
dormientes in guardia cuſtodes excitare: & ſuis clamoribus ad vigilan-
dum compellere. Quãdam igitur nocte more ſuo clamitans cocum juxta
dormientem ad ſe vocat: pulchrum ſe quidpiam pollicens oſtenſurum;
ſurgit cocus pontem illuſorium ſpiritus arte fabricatum putans eſſe ve-
rum, nihil metuens aſcendit, in foſſatum cecidit, tibiam fregit. Ex do-
loris vehementia cocus flevit, ſpiritus riſit, & impropere ſacienti dixit:
Iterumne veru me in tua culina percuties coce? Jam ut pollicitus fueram,
irrogatas mihi contumelias latus vindicavi. De cætero negotijs tuis pro-
ſpiciens me non injuriabis. Vir erat in quodam oppido Saxonie pro-
ſuis negotijs neſcio quorſum profecturus, cumque jam eſſet præcinctus
ad iter, quaſi per contumeliam dixit ad eũ uxor ejus mulier videlicet im-
pudica, & adultera. Tu proficiſceris in terras remotiores, & pro me quis
jam erit ſollicitus? Cui per jocum reſpondit maritus: ſpiritus ille Hudekin
audiſi, quod bonus ſit ſocius, ipſius te curæ, ac ſollicitudini fovendam
com-

committo. His dictis abiit homo in viam suam. Quo abeunte posuit mulier cum adulteris portionem suam. & cum successivè plures advocaret amatores suos, cum nullo tamen, spiritu se interponente, moechari potuit vel commisceri. Mox enim ut aliquis mulierem contingere manibus tentavit, arreptum invisibiliter spiritus de lecto projecit in terram. Cumq; hoc ipsi singulis noctibus, & cum singulis amatoribus fieret; mulier incantata se maleficio existimans multis & varijs squilla: remedijs utebatur incassum, & frustra. Etenim spiritu eam, cui erat commissa, invisibiliter custodiente, nemo ad ejus commixtionem accedere potuit. Viro tandem revertenti spiritus extra oppidum consueto indutus habitu rustici pileatus occurrens dixit: gratus atque jucundus est mihi tuus adventus, utpote qui magno labore me relevabit. Ad quem ille quis inquit es tu, vel in quo te meus poterit relevare adventus? Cui spiritus: ego sum inquit Hudekin bonus ille socius cui nuper abiturus tuendam commendasti uxorem. Ecce reddo illam sicut accepi corpore quidem castam, mente ut erat lascivam. Sed rogo, & obtestor te per caput tuum o bone vir, ne abiturus deinceps tuam mihi committas uxorem. Nam juro per caelum, & terram quoniam si alterum oporteret, ex duobus, & mihi optio daretur, mallet omnes totius patriae custodire porcos à lupis quam solam uxorem tuam à lascivis, & turpibus amatoribus suis. Multa quoque, & alia tam seriosa quam ridiculosa spiritus ille patravit, quorum isthic recensere historiam nimis videretur tediolum. Qui tandem à memorato Hildesheimensi Pontifice per censuras Ecclesiasticas eliminatus de patria recedere compulsus fuit. Posthac visus in medio turbarum Aquisgrani à quodam, de Saxonia viro & agnitus rogabat, ut pro suo apud Episcopum reditu supplicaret. homo verba spiritus ad Pontificem retulit, sed reditus non est concessus.

MCXXXIII.

Año Volmari Abbatis xiii. Lotharius Rex ad preces Innocentij Papæ II. magno suorum Principum, Episcoporum, Abbatum atque Nobilium congregato exercitu Romam profectus est, Antipapa Petri Leonis fugiente ad inthronizandum ipsum Pontificem in Sedem Apostolicam. Inter agens per Italiam munitiones quasdam sibi obsistentes coepit, ac tandem penultimâ die mensis Aprilis urbem ingressus magno honore à Romanis susceptus est, & quia schisma Deo permittente cum morte Petri Leonis nondum finem habebat: Innocentium faventibus Romanis in Sedem Petri Apostoli Christi locavit, & omnes in ejus obedientiam jurare compulit, donec deinceps maledicti schismatis turbatio cessavit, latantibus cunctis, qui pacis diligebant largitorem.

Posthac quartâ die mensis Junij anno prænotato Innocentius Papa II. defensorem suum Lotharium Regem in Ecclesia S. Joannis Lateranensi astantibus Clericis & populo civitatis pene innumerabili, cum magna pompa imperiali diademate coronavit: ne tantis laboribus & impensis viri pro se factis videretur ingratus, nec enim parva erant, quæ pro ejus honore fecerat. Rebus posthac in Italia compositis Imperator ad Germaniam revertitur, habens in comitatu suo S. Bernardum Abbatem.

Anno prænotato iv. Nonas Augusti Lunâ xxvii. horâ diei sextâ defectio solis, quam Ecclipsin Græci nominant facta est magna, ita, quod

Ecc 3

stella:

Non permittit spiritus adulterium fieri

Maluit spiritus custodire porcos quam mulierem.

A patriâ spiritus per censuras pellitur.

Lotharius Rex Romæ profectus est.

Innocentius Sedi suæ restituitur.

Lotharius Rex Imperator coronatur.

Solis defectio Aquarum inundatio.

ſtella clarè viderentur apparere in cœlo. Aëris deinde magna inæqualitas, & pluviarum inundatio multa ſubſecuta eſt.

Eodem anno filius ſororis Lotharij Imperatoris Hollandiæ videlicet Comes à Godfrido, & Hermanno fratribus de Cuch, Trajecti occiſus fuit, in quos vindicta gravis poſtea ut merebantur capitum ablatione proceſſit.

Cœnobii
Eberbach
fundatur.

His temporibus Monafterium Eberbach Cifterciensis Ordinis Sancto Bernardo iſtante per Adelbertum ſeniores Archiepiſcopum Moguntinum in Ringaugia conſtruitur in loco, qui ab incolis terræ Eberbach dicitur, & diſtat à Moguntia duobus ferme milliaribus in Rheni deſcenſu, in quo idem venerandus Pontifex poſt ultima fata ſepulturam accepit.

Guigo Car-
thuſiæ Pri-
or quintus.

Circa hæc tempora claruit Guigo quintus Prior Carthuſiæ majoris, vir tam in divinis ſcripturis, quàm in ſæcularibus literis egregiè doctus, ingenio ſolers, memoriâ tenax ſacundiâ admirabilis, exhortatione efficaciſſimus, qui antecellentes ſuos famâ, & auctoritate longè præceſſit, ſub cuius Prioratu Ordo Carthuſienſis in ſex domibus de novo conſtructis incrementa ſumpſit. Hic ad mandatum Innocentij Papæ II. vitam S. Hugonis Granopolitani Pontificis eleganti ſermone conſcripſit, *Epistoſas* D. Hieronymi correxit, & emendavit. Denique ſcripſit, etiam multas, & devotiſſimas *Epistoſas* ad diverſos, ſed & alios complures tractatus devotionis compoſuiſſe dicitur, qui ad notiſſimam noſtræ lætionis non venerunt. Moritur tandem virtutum plenus meritis xxvii. die menſis Julij Anno ætatis ſuæ LIV. converſionis xxx. Prioratûs verò ſui xxvii. Anno ſcilicet Volmari Abbatis Hirſaug: xvii. Hugo etiam de S. Victore Pariſienſis hæc tempora tam vitæ merito quam eruditione ſcripturarum omnimoda reddidit clariora: qui quanta ſcripſerit, quàm pulchra, quàm utilia & ſancta in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſufficienter oſtendimus. Magna inter ipſum, & D. Bernardum Abbatem Clarevalleſem amicitia in Chriſto coaluit: quod ex utriuſque libris & *Epistoſas* facillimè conijcitur. Sunt, qui dicant eum patriâ fuiſſe Theutonicam & in Saxonia natum, quod nos verum comprobare certò non poſſumus.

Lucas S.
Cornelij
Abbas Do-
ctor.

Claruit ſiſ etiam temporibus Lucas Monafterij S. Cornelij noſtri Ordinis Abbas in ſcripturis ſanctis continua exercitatione peritus, & ſæcularis Philoſophiæ non ignarus, in exponendis ſacris voluminibus nobile ingenium conſecutus, qui memoriâ ſui varia ſcribendo ad notiſſimam poſteritatis cum laude tranſmiſit. De cujus tamen lucubrationibus pauca in manus pervenerunt. Extat ejus in Cantica Canticorum lib. I. In Evangelium Matthæi liber. I. In Evangelium Joannis liber. I. Sermones multi ad Fratres: & alia.

Opuscula
hujus Lucæ
Abbatis.

Odo Abbas
S. Remigij
Doctor.

His quoque temporibus claruit in Gallia Odo Monafterij S. Remigij noſtri Ordinis Abbas in diœceſi Remorum vir in omni varietate ſcripturarum doctus, & in obſervantia Regularis diſciplinæ vigilantiſſimus Guigonis ſupradicti Carthuſiæ Prioris amicus, & fautor ſingularis, qui ſcripſit inter cætera de vita, & miraculis Divi Remigij lib. I. De Operibus Charitatis lib. I. De Inſtitutione Monachorum lib. I. Cætera quæ compoſuit ad notiſſimam noſtræ lætionis adhuc minimè venerunt. Ejus conſilio & auxilio domus nova Montis Dei Carthuſienſis Ordinis fundata eſt.

Gratianus Monachus Classensis Cœnobij in Italia nostri ordinis his temporibus magno apud doctos in pretio fuit. Qui cum esset virtam in divinis scripturis quàm in sæcularibus litteris doctissimus ut multis proficeret ejus eruditio in salutem, scripsit non sine magno labore quatuor libros Decretorum, opus profectò maximis laudibus celebrandum; quod concordiam discordantium Canonum prænotavit; Et ab Eugenio Papa tertio fuit approbatum. Alia verò siqua composuit, nostram fugiunt lectionem.

Gratianus
Monachus
Doctus,

Claruit his quoque temporibus Hugo de Folieto Monachus Corbejenfis Cœnobij nostri Ordinis in Gallia, vir in divinis scripturis multum eruditus, ingenio subtilis, eloquio dulcis, vitâ & conversatione devotissimus, qui scripsit de clauſtro materiali librum unum, de clauſtro spiritali lib. i. de clauſtro animæ lib. i. de clauſtro Paradisi lib. i. de Carcere inferni. lib. ii. Sermones quoque & Epistolas plures ad diversos. Reliquorum ejus operum noticiam non habemus.

Hugo Fo-
licti Mona-
chus Doct.

M C X X X I V.

Anno Volmari Abbatis quarto decimo Lotharius Imperator Pafcha Domini cum multis Episcopis atque Principibus celebravit in Saxonia Urbe videlicet Halberſtatenſi, ubi Danorum Rex magnus & ſe, & ſua in poteſtatem Lotharij tradidit, fidelitatis juramentum denuo fecit, obſides dedit, & quod nec ipſe nec ſui ſucceſſores ſine Imperatoris conſenſu deinceps regnare debeant in Dacia litteris voluntate ſpontaneâ confirmavit. His ritè peractis in Daciam reverſus eſt, & in die ſancto Pentecoſtes cum Patre ſuo Nicolao Episcopis quinque, præſbyteris ſex à Danis occiditur.

Dacia Ro-
mano ſu-
beſt Impe-
rio.

Eodem Anno Lotharius Imperator diem Pentecoſtes celebravit in Mersburg ubi Filiam ſuam Gertrudem Henrico Duci Bavarie cognomento ſuperbo, dedit uxorem, tradens ſibi ducatum Saxonie in perpetuam hæreditatem. Et ex eo tempore Henricus dux Saxonum fuit ſimul & Bavarorum. Qui cum eſſet vir dives, potens, fortis & audax multa ſocero deſuncto prælia movit, & maximis conatibus licet fruſtra ad imperium anhelavit. Iſte dux Henricus ſuperbus ex memorata filia Imperatoris Lotharij genuit Henricum cognomento Leonem Saxonie ducem virum bellicoſum, audacem & ſtrenuum; de quo veteres Germani Poëtæ miranda finxerunt, vulgari canentes in Carmine atque in tapetis Principum, ac parietibus auſarum pingentes ejus confictæ & fabuloſæ peregrinationis hiftoriam. Quomodo videlicet corio inſutus equino & à grifionibus raptus periculum evaſerit maris, pereuntibus ſocijs cunctis cum avibus pugnaverit, draconem occiderit, per mare cum leone tranſierit, & tandem uxore ſua Mechtilde (quæ filia Regis fuit Anglorum) nuptias cum novo celebrante marito, miniſterio dæmonis una cum leone ſuo ad Caſtellum ſuum reductus fuerit; annulumque uxori per janitorem miſerit, & agnitus nuptias diſſipaverit, ſimiliæque his alia multa, quæ magis conficta quam vera geſtorum ejus ſeriem myſticè ſignificant. Conſueverunt enim veteres Germani ſtudia geſtûſque imitantes Græcorum, à quibus duxerunt originem, fortia Principum ſuorum acta in Carmen & Cantilenas reducere: & mortalium facta, Deorum immortalium geſtis ſub figurarum & anigmatum reſtringendo ſymbolis comparare.

Henricus
Dux Bava-
rie & Saxo-
nie.

Hiftoria
Ducis Brū-
ſuicenfis.

Fabuloſa
Ducis Hen-
rici. Hiftoria.

Mor Vere-
rum Ger-
manorum.

Quod

Quod factum in hoc duce Henrico non dubitaverim, cui propter fortitudinem, audaciam & res gestas cognomen attribuere Leonis: & veritatem historiæ sub mysterio reponentes supra mortalium efferre metas hominem studuere mortalem. Ab isto duce Henrico nobilissimo qui hodie sunt Duces Brunsvicensis, Luneburgenses & de Castro Leonis ortum descenderunt sicut patebit legenti historiæ.

S. Norbertus Archiepiscopus obiit.

Anno prænotato mortuus est S. Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis in Saxonia: institutor primus Ordinis Præmonstratensis vir magni apud Deum meriti: cujus sacrum corpus majoris Ecclesiæ sancti Mauritij Canonici ad se pertinere cum dicerent quorum fuit Archiepiscopus: fratres S. Mariæ contradicentes sibi deberi potius quorum institutor fuit Ordinis affirmarunt. Sed piâ eorum contentione ad Imperatorem delatâ corpus datur fratribus Ordinis in Ecclesia ipsorum sepeliendum. Obiit autem S. iste Norbertus octavo die Mensis Julij post quem Conradus cujusdam comitis filius Archipræsul ordinatur.

Cœnobiū S. Jacobi Heribopolis constructur.

Eodem quoque Anno rediens à Moguntia Eubricho Heribopolensis Ecclesiæ præsul Monasterium S. Jacobi Majoris Apostoli cui Domino miserante præsedeo indignus ego Joannes Trithemius Abbas, in sub Urbano prænominatæ Civitatis construere cœpit quod temporis successu perficiens, Monachos sub Abbate & Regula Sanctissimi Patris nostri Domini Benedicti Christo servientes in eo collocavit, quibus hujus vitæ necessaria tam ipse quàm fideles mediocriter providerunt.

S. Macharius Abbas miraculis clarus.

Primus autem ejusdem Cœnobij Abbas fuit Macharius Natione Scotus vir magnæ sanctitatis, qui multis & in vita miraculis claruit, & mortuus. In orationibus ad Dominum semper fuit pervigil, & devotus mente simul & corpore Christo deditus, & in ejus amore suspensus. Deorâ pro Salvatoris honore vivendi Regulam subivit, & magna corpus suum abstinentiâ castigavit. Vinum non bibit & omnes ciborum delicias ut venenum & animæ pestem declinavit. Vinum coram multis Ecclesiæ Prælati in aquam oratione mutavit: Romæ positus sedensque ad mensam Eugenij Papæ tertij casum turris in Heribopoli mente raptus in spiritu vidit, & alia complura miracula fecit. Moritur tandem plenius sanctitate anno Volmari Abbatis. xxxiii.

MCXXXV.

Corpus S. Matthiæ reperitur Treviris.

Anno Volmari Abbatis xv. Indictione Romanorum xiii. inventum est corpus S. Matthiæ Apostoli Treviris in Monasterio D. Eucharij Trevirorum primi Archiepiscopi quod ex eo tempore S. Matthiæ vocabulo nuncupatur.

Bruno Archiepiscopus, Fridericus Dux

Eodem anno Colonienſium Archiepiscopus Bruno, & Fridericus Alſatiæ Dux aliquamdiu non bene cum Imperatore Lothario sentientes interventu Episcoporum, & Principum; in ejus gratiam recepti sunt.

Conventus fit Principum in Saxonia.

Anno etiam prænotato in festo Pentecostes Imperator Lotharius Conventum Principum in Magdenburg habuit magnum. In quo Rex Danorum, & Dux Polonorum, Dux quoque Bohemorum, Dux Suevorum, Dux Bayarorum, & Saxonum cum multis alijs Principibus comparuerunt, qui omnes Imperatore jubente firmissimam pacem in toto Regno Germanorum servandam decennio juraverunt.

Hoc ipso Anno Lotharius Imperator Moniales, quæ erant in Cœnobiis

nobio Lutterensi Halberstattenſis Diœceſis alibi transferens, locum inſtaurans ædificijs, & redditibus magnificè ampliavit, & Monachos noſtri Ordinis de Monasterio Bergenſi prope Magdeburg introducens, Everhardum venerabilem virum eis in Abbatem primum conſtituit: Ex quo tempore idem Monasterium Luttera regalis vulgariter Königluttern ab inſtauratore Lothario Rege dictum eſt uſque in præſentem diem. Quod quidem Cœnobium pro monialibus noſtri Ordinis Comes quidam in Oldeslebon Eſſeven ante plures annos conſtruxerat: in quo filiam tuam Mechtildem ſanctis virginibus Chriſti præfecit Abbatiffam. Verùm poſt annos plures Monialibus ab obſervantia Regulari temerè declinantibus, à Lothario ſicut diximus expulſæ ſunt, qui maluit Monachos habere Sacerdotes, quàm moniales inutiles.

His quoque temporibus Cœnobium in Frankenthal haud procul à Wormatia fundatum eſt per quendam civem Wormatiensẽ nomine Erkenbertum virum magnarum virtutum, & operationum in quo Canoniceos ſub Regula S. Auguſtini Domino militantes collocavit. Quorum primus vitæ dux atq; Præpoſitus fuit Bertolfus Canonicus de Monasterio Trevirenſis Diœceſis, quod nominatur Sprengersbach aſſumptus, qui poſtea officium reſignavit. Poſt reſignationem Bertolfi ipſe loci fundator Erkenbertus adhuc Laicus in præpoſitum à fratribus fuit electus, quem Buggo Wormatiens̄is Epiſcopus Presbyterum ordinavit. Vir autem Domini Præpoſitum Fratrum ſecernens vocante Domino conſtitutum, magnâ vigilantia curavit ſe Paſtorem Chriſti ovibus utilem non minus opere demonſtrare, quàm ſermone, ſanctè vixit, Deo placuit, fratres in omni vitute præceſſit, vivens & mortuus miraculis claruit. Ad Orientalem Monasterij præfati partem, vix ad jaçtum lapidis aliud Cœnobium quod Frankenthal minus appellant pro monialibus, ejuſdem Ordinis idem vir DEI conſtituit, & Richilindem uxorem quondam ſuam, devotam, religioſam, & ſanctam mulierem Chriſti virginibus matrem & ducem præfecit. Quæ ſancta mulier Domino valde placere ſtudit, & miraculis ſimiliter coruſcavit.

His etiam temporibus memoratus Buggo Wormatiensium Reverendiſſimus Præful Domino cooperante Bernardo Monasterium Schönaugienſe Ciftertiens̄is Ordinis uno ab Heidelberg milliario diſtans in nemore conſtruxit, quod multis prædijs dotavit, & primum Abbatem cum Monachis de Clarevallenſi Cœnobio impretravit. Quod quidem Monasterium ſucceſſu temporis in utròque ſtatu valde crevit.

Cœnobium quoque Sancti monialium noſtri Ordinis Lobenfeld, id eſt Campus laudis nominatum, in pago qui dicitur Creichgauve duobus ab Heidelberga milliariſibus idem Præful Buggo his temporibus pari devotione conſtruxit: in quo multitudinem Domino ſervientium virginum collocans, vitæ neceſſaria, illis copioſè providit.

Evnucho etiam quidam Comes de Lyningen divino ſpiritu afflatus hiſtemporibus Monasterium Dumetenſe vulgariter Hegene ſive Heningen dictum non procul à caſtro ſuo in Diœceſi Wormatiens̄i conſtruere cœpit, quod conſummatum poſtea, & magnificè dotatum anno Volmari Abbatis XXI. Buggo ſæpedictus Pontifex in honorem S. Petri Apoſtolorum Principis ſolenniter conſecravit. Ubi primum Canonicorum Præpoſitum Hartungum nomine inſtituit.

Fff

MCXXXVI.

Monasterij
Königluttern
fundatio.

Comes in
Oldesle-
bon funda-
tor.

Monasterij
Franken-
thal funda-
tio.

Erkenber-
tus vir Fun-
dator.

Cœnobij
Franken-
thal mino-
ris funda-
tio.

Monasterij
Schonau-
we Cister-
tiens̄is Or-
dinis fun-
datio.

Cœnobij
fundatur
Lobenfeld.

Cœnobij
fundatur
Heningen.

MCXXXVI.

Volmarus
Abbas Cas-
sarem im-
plorat con-
tra Spolia-
torum.

S. Jutta
Monialis
de Span-
heim mo-
ritur.

In Monte
S. Disibodi
vixit.

S. Hilde-
gardis in
Prioratu
succellit.

Ventus æ-
dificia sub-
vertit.

Imperator
secundo
intravit I-
taliam.

Anno Volmari Abbatis xvi. homines quidam sæculares maligno spiritu periuadente res Monasterij rapere, ac Fratrum turbare quietem non verentes gravem ipsi Volmaro sollicitudinem excitârunt. Qui necessitate compulsi, ut res ac libertates Monasterij pro posse defenderet. Lotharium Imperatorem Spiræ tunc existentem cum certis Principibus accedens querelam deposuit, auxilium & defensionem imploravit. Imperator Volmari querelas, justitiæ considerans habere fulcimentum reos, & justè accusatos extra patriam fecit proscribi. Quod factum usque adeo terruit in circuitu omnes, ut Volmaro vitam in humanis agente Hirsaugienses molestare nemo præsumeret. Eodem anno xxii. die Mensis Decembris obiit Sanctæ memoriæ Jutta sanctimonialis nostri Ordinis virgo, soror Megenhardi Comitis in Spanheim, in Monasterio S. Disibodi Præsulis secus altare majus ad meridionalem partem in abside sepulta. Hac virgo beatissima Stephani Comitis in Spanheim filia, cum esset annorum duorum & viginti pro Christi amore omnia hujus mundi oblectamenta contemnens jugum Monasticæ institutionis patre annuente subiit. Cui pater cellulam construxit in monte S. Disibodi juxta Cœnobium Monachorum tunc Ordinis nostri quod uno vix distat milliario à Monasterio quondam meo Spanheimensi, & eam cum tribus alijs ejusdem propositi virginibus curæ Abbatis loci commendavit. Harum prima fuit S. Hildegardis ex proxima villa Bikellenheim oriunda, quæ postea Monasterium construxit in monte S. Ruperti apud Bingios filia cujusdam militis, de qua suo loco dicemus. Secunda similiter, & tertia prioris S. Virginis nomē habebant. Jutta verò Stephani Comitis nobilissimi filia Domino in monte prænominato reclusa in magna devotione serviens multis cepit clarere virtutibus ad cujus famam sanctitatis plures in circuitu nobilium filia in Christi amore succensæ ejus se magisterio subdiderunt: quarum numerus in brevi tempore non parùm fuit augmentatus. Quæ omnes sub Regula SS. Patris nostri Benedicti, & Abbate sine proprio in vera castitate Domino servierunt. Multis hæc virgo beata tam in vita quam post mortem fertur claruisse miraculis, quæ non paucas Christo animas bonæ conversationis acquisivit. Post cujus mortem S. Hildegardis Magistra sororum constituta est sub regimine Cunonis Abbatis Montis S. Disibodi Pontificis, qui Adelhuno de quo supra diximus (de quo diximus anno Brunonis octavo) immediatè successit. Et hæc annis paucis postea transfactis cum tota Congregatione sororum permissione Cunonis ad Montem S. Ruperti transiit.

Anno prænotato in Festo Sanctorum Simonis & Judæ ventorum vis maxima turres, & ædificia multa subvertit; Mare quoque consueros terminos egrediens magnam Flandriæ partem domos & ædificia cum habitatoribus eorum in profundum submersit.

Eodem quoque anno circa festum Assumptionis Beatæ Mariæ semper virginis Lotharius Imperator evocatus denuo per Innocentium Papam contra quendam Rogerium Apuliæ Ducem Romanam Ecclesiam, & eius memoratum Pontificem insequentem exercitum movit in Italiam habens inter alios Principes multos secum duos bellicosissimos Duces Henricum Bavariæ generum suum; & Conradum Sueviæ postea Imperato-

rem

rem ejus nominis III. Romanorum. Quorum prior Dux videlicet Bavarorū cognomento superbus exercitum duxit per Tusciam, & Romano Pontifici Innocentio conductum præbuit securum ad Lotharium Imperatorem. Deinde Beneventum obsidione cingens impugnat & cœpit, Papæque restituit. Alter verò Dux Conradus vir audacissimus captis Oppidis & munitissimis Castellis pluribus atque destructis, cum Imperatore Padum transgreditur bellum inducens rebellibus & destruens resistentes. Cremonenses & Papienses pecuniarū interpositione recipiuntur ad veniam pacis. Post hæc Apuliam in deditionem accipiens Tyrannū de Italia fugavit: & Ducatum cuidam Reinaldo commisit.

Anno præscripto tertiâ die mensis Septembris Marquardus de Nusbaumen vir nobilis dives & potens filio suo ejusdem consentiente, & cooperante dictum castrum suum Nusbaum destruxit, & basilicam ex eo in honorem S. Abbatis Ægidij construxit: ipsamque Monasterio S. Nicolai in Camberg tunc nostri Ordinis pleno dominio subjecit. Rebus deinde suis pro necessitate compositis, ambo cum omnibus rebus memorato se Monasterio tradentes Monachi facti sunt, & suave Domini jugum hilari devotione susceperunt.

MCXXXVII.

Anno Volmari Abbatis xvii. Indiēt. Rom. xv. die verò mensis Junij xxiii. mortuus est Adelbertus Archiepiscopus Moguntinus, & in Monasterio Eberbach, quod ipse fundaverat, quemadmodum supra diximus anno Volmari Abbatis xiiii. sepultus fuit; cui anno sequenti successor, ut dicemus, primū ordinatus est.

Eodem aſio Imperatore Lothario festū Pentecostes apud Barū in Italia cum suis Principibus celebrante, Bruno Archiepiscopus Colonienſis mortuus est, & ibidem in Ecclesia S. Nicolai sepultus. Cui Hugo Decanus majoris Ecclesiæ tunc præsens Imperatoris jussione successit, & ab Innocentio Papa II. in Archiepiscopum consecratus fuit. Qui paucis diebus super vivens prius in peregrinatione mortuus est, quàm ejus ordinatio civibus suis, & Ecclesiæ innotuisset. Post hunc Arnoldus D. Andreae in Colonia Præpositus, Comitis de Wyd filius in Archiepiscopatu successit: quem Eugenius Papa III. Anno Volmari Abbatis xxix. ut ibi dicemus, in Concilio Rhemenſi ab executione Officij aliquanto tempore suspendit. Anno prænotato Imperator diebus Pentecostes evolūtis castrum, quod Rogerius juxta Barū construxerat fortissimum, obsidione cinxit, impugnavit, & cœpit, funditūſque per incendium evertit. Latrunculos in eo reperit ultra quingentos, qui prædas in provincia graves facere solebant: quos omnes circa turrim quandam exustam fecit suspendi. Quo facto ceteri omnes nimio terrore perculsi, & se, & munitiones suas Imperatori submiserunt.

Año prænotato David natione Scot^o plurib^o aſis Herbipoli Scholarrū Magister, de quo diximus año Brunonis V. sanctitate cōpatriotæ sui D. D. Macharij primi Abbatis Cœnobij mei S. Jacobi majoris in sub Urbano memoratæ civitatis provocatus mundū pro Dei amore deseruit, & Monachicū habitum sub ejus Magisterio suscepit. Qui cum esset vir tam in divinis scripturis quàm in sæcularibus libris haud mediocriter eruditus: scripsit quædam non spernendæ lectionis opuscula: quibus memoriam

Duo Comites sunt Monachi.

Adelbert. Archiepiscopus Moguntinus obiit.

Bruno Archiepiscopus Colonienſis moritur.

Arnold. fit Archiepiscopus Colonie.

Prædones quingenti suspendi

David Monachus S. Jacobi Herbipolensis.

fui poſteris commendavit. Equibus nos iſta invenimus. De geſtis Henrici Regis quinti per Italiam libros tres. De Purgatorio Patritij lib. 1. In Cantica Canticorū l. 1. De Grammatica l. 1. In Perihermenias Ariſtorelis l. 2. Epistoſas etiam nonnullas dedit ad diverſas perſonas doctrinam ejuſoſtendentes.

Moguntinum Spirē. incendiū.

Hoc ipſo Anno major Eccleſia Moguntina cum parte non modica civitatis incendio perijt. Et eodem die oppidum Goſlarienſe crematum eſt. Eccleſia quoque Spirenſis major cum magna parte civitatis igne conſumpta fuit.

Lotharius Imperator obiit.

Anno etiam prænotato cum Imperator Lotharius rebus in Italia compoſitis reverteretur in Germaniam ſenio gravatū, & morbo apud Veronam moritur quartā videlicet die menſis Decembris, vir certè imperio dignus, & apud omnem poſteritatem ſempiternā memoriā celebrandus: cujus corpus in Saxoniam relatum per ſuos in Monafterio Luterenſi noſtri Ordinis, quod ipſe conſtruxerat ſepultum eſt. Henricus Baviaræ Dux, qui ſocero morienti aſtabat inſignia imperialia, hoc eſt coronam, ſceptrum, gladium & Crucem, quæ Caroli Imperatoris Magni fuiſſe traduntur, ſibi cum Imperio uſurpare nitebatur.

MCXXXVIII.

Trecentiſimus Hirſaugienſiū

Anno Volmari Abbatis xviii. qui fuit à prima fundatione Hirſaugienſis Monafterij apud S. Aurelium tranſpontem trecentiſimus annus. Adelbero Trevirorum Archiepiſcopus metuens, ne Henricus Baviaræ Dux gener Lotharij deſuncti Imperatoris, penes quem Regalia diximus fuiſſe reſoſita, in generali conventu Principum prævaleret: qui uſque adeò de Imperio conſequendo ſibi certus eſſe videbatur, ut nulli Principum de Regno facere verbum dignaretur, per ſuam induſtriam egit occultè, quod Fridericus Dux Sueviæ Conradus frater ejus, Buggo Epicoſpus Wormatienſis, Embricho Epicoſpus Herbipolenſis, cum certis alijs Principibus in medio quadrageſimæ apud Confluentiam pro novi Regis electione convenerunt: quibus Arnoldus Colonienuſium Archiepiſcopus occurrit, Moguntinā Eccleſiā vacante poſt mortem, ut ſupra diximus Adelberti Senioris. Conſultantes igitur inter ſe prænominati Principes ſuper diſpoſitione Imperij Conradum ſupra dictum Sueviæ Ducem unanimiter in Regem elegerunt, quem mox ad Aquasgrani ducentes juxta morem fecerunt coronari.

Dux Baviaræ contra Conradum erigitur.

Audientes poſtea Saxones, & Bavari electionem Conradi moleſtiſſimè tulerunt ſe non fuiſſe vocatos, in unum convenerunt, & Henricum ſuperbum Baviaræ Ducem, Lotharij quondam Imperatoris generum ſuper ſe Regem ſtatuere, & multiplicata ſunt mala in terra. Habebat Henricus, ut eſt dictum, penes ſe Regalia ſibi à morituro ſocero commiſſa, quæ tamen Conrado tradere poſtea fuit compulſus. Verum ut Rex Conradus intellexit Henricum à ſuis electum in Regem, & ſibi jam manifeſtè contrarium atque rebellem, per ſententiam ſibi adherentium Principum Saxoniarum ab eo Ducatum abſtulit: & eum Adelberto Marchioni de Soltvedel poſſidendum aſſignavit.

Henricus Ducatu privatur Saxoniarum.

Quibus auditis Henricus Dux magno ſuorum adunato exercitu in Saxoniam contra Adelbertum Marchionem proſectus eſt: & commiſſo prælio Victor evaſit, Adelbertumque fugere compulſit. Qui veniens ad Regem

Regem Conradum calamitatem suam exposuit, ejusque auxilium contra Ducem Henricum pro Patria recuperanda invocavit. Ducatum interim Bavariæ frater Henrici Dux Welfo sibi ab illo commissum gubernans ab æmulorum incurfu defensabat.

Anno prænotato Rex Conradus Dominicæ Resurrectionis festum Coloniae celebravit: indèque hebdomadâ tertiâ per alveum Rheni ascendens Moguntiam veniens cum magno honore à civibus susceptus est: & Rex legitimè ab omnibus de more salutat. Et quia pastore Moguntina carebat Ecclesia: Regis præcepto Adelbertus junior Præpositus Erpfordensis nepos senioris Archiepiscopus eligitur.

Eodem anno Rex Conradus Pentecosten celebravit in Badenbergo, ubi conventum Principum Regni magnum convocavit: qui pene omnes præter Henricum Ducem Bavariæ supradictum comparuerunt. Ibi Adelbertus Moguntinus jam dictus Præsul electus in Sabbato quatuor temporum per Ministerium S. Ottonis Episcopi Bambergensis Presbyter ordinatus est: & alterâ die Dominicâ in Archiepiscopum consecratus.

Anno etiam præscripto in nocte sancta Parasceves manè post Laudes Matutinas corpus S. Disibodi quondam Præsulis in Hibernia, & pro Christo in Germania peregrini per Canonem Abbatem de veteri Monasterio, ubi quondam per Willegisum Archiepiscopum Moguntinum fuerat repositum, ad novum Cœnobium à Ruchardo, & Seniore Adelberto in monte constructum astantibus Bernhelmo primo Abbate Spanheimensi, & Gerardo S. Maximini cum reverentia & honore translatum est: & in tumba marmorea nova retro majus Altare suspensâ in aere ubi adhuc manet collocatum.

Iste vir Sanctus claruit circa tempora Mauritiij Imperatoris in Hibernia Insula, & pro vitæ merito Episcopatus mitrâ decoratus fuit. Qui contumelijs suorum provocatus natale solum deseruit: & pro Christi amore peregrinationis arduum laborem assumpsit. Tandem ordinante Domino venit in Germaniam ad Diœcesim videlicet Moguntinam, & in Conmitatu Spanheimensi vitam duxit eremiticam haud procul ab oppido Sobernheim in eo loco ubi Nahus, & Glanus duo parva flumina confluunt duobus à Stauranesio milliariibus. Qui tandem inter fruteta reperiens à pastoribus paulatim cœpit frequentari: quorum adjutorio Cœnobium in pede montis constituit, in quo Monachos de Regula S. Benedicti, qui paulò ante objerat collocavit: in quo & postea moriens sepultus fuit.

Anno quoque prænotato duo Comites videlicet alter Lyningen alter verò de Lamersheim pari devotione ad prædicationem, & miracula S. Bernardi Abbatis compuncti, Monasterium Maulbronn Spirensis Diœcesis construere cœperunt: fundo ipsius loci ad Hirsaugiense hoc Monasterium pertinente pro pecunia empto à Volmaro Abbate quem admodum in litteris emprionis desuper confectis continetur. Consummato autem Cœnobio Monachos Cisterciensis Ordinis introduxerunt, qui locus temporum successu valde crevit personis ampliatus & rebus.

MCXXXIX.

Anno Volmari Abbatis XIX. Indictione Romanorū II. Conradus Rex Romanorum circa festum S. Jacobi expeditionem movit in Saxoniam cum Adelberto Marchione de Soltvedel contra Henricum superbum Bavariæ, Saxoniamq; Ducem.

Fff 3

Qui

Adelbert.
junior fit
Archiepisc.
Mogunt.

Conventus
Principum
in Bamber.

Corpus
S. Disibodi
levatur.

De Patria
S. Disibodi
Præsul.

Cœnobij
Maulbronn
fundatio.

Rex pug-
nat cū Du-
ce Henrico.

Victoria
Duci ces-
sit Henric.

Qui audiens Regem sibi cum exercitu imminere collectis viribus juxta Cruzeberg Oppidum illi confidenter occurrit, & prælio commisso Rex terga dedit: & sine effectu retrocedere compulsus fuit. Erant autem cum Henrico sentientes Conradus Archiepiscopus Magdeburg. Comes quoque Palatini Bavari, & Saxones pene omnes: quorum auxilio fretus Regis monita spreuit, & contempsit.

Cœnobij
Ebrach Ci-
stercienf.
fundatio.

His temporibus Monasterium Ebrach in Francia Orientali Cisterciensis Ordinis, Diœcesis Herbipolensis construitur, Rege Conrado sumptus & impensas largiter præbente, cujus primus Abbas fuit institutus Adam vir magnæ Religionis ad quem Ducis Bernardi Clarevalleensis nonnullæ recitantur epistolæ.

Hoc Monasterium cum tempore in rebus temporalibus mirabiliter crevit: & cuncta in Orientali Francia cujuscvis Ordinis Cœnobia divitijs longè superavit.

Schonrein
confirmatur
ab Episcopo.

Anno prænotato Embrico Herbipolensis Episcopus ad instantiam Volmari Abbatis Monasterium in Schonrein suæ Diœcesis, quod sanctus Wilhelmus olim constuere cœpit: & ejus successor Gebhardus sicut anno ejus secundo diximus perfecit: auctoritate ordinariâ cum omnibus rebus & possessionibus suis confirmavit: quemadmodum patescit in litteris desuper confectis: quarum exemplar hic sequitur.

Exemplar
litterarum
Embricon.
Episc. Her-
bipol. super
Schonrein.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Embrico Wirceburgensis Episcopus. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris, quam presentibus quod in nostra Diœcesi quidam situs est locus Schonrein vocatus ac Monasterii Religioni dicatus, qui temporibus Henrici Regis IV. præq. memoria Adalberonis nostri prædecessoris Hirsaugiensis Cœnobij traditus est hoc modo: Ludovicus Comes ac frater ejus Beringerus de Thuringia pro remedio animarum suarum, pro redemptione majorum: pro felicitate posterorum: præfatum locum duobus molendinis, hortis, pratis, nemoribus cultis & incultis simul cum prædio quod habebant in VVisenfelt. Deo & Beatis Apostolis Petro & Paulo, Sanctæ memoriae Wilhelmo Abbati liberâ devotione tradiderunt, ac cœnobialem vitam inibi institui rogaverunt. Quod quidem à Venerabili Patre Wilhelmo feliciter est incubatum, sed ab ejus successoribus felicitus consummatum: constructoque Monasterio caput locus florere sub Beata Dei Genitricis, Sanctique Joannis Evangeliste patrocinio. Terminus autem loci sub monte qui Sumerberc dicitur in Rotendinga peringit. Et inde sursum versus usque ad viam, quæ Chirvech sive Pfaffenvech appellatur, ascendit: & per eandem viam in Scutibach descendit.

Quod san-
ctus Wil-
helmus
Schonrein

Sed quia Fratres ejusdem loci juxta Mogum fluvium nihil proprietatis habebant: & ob hoc ab incolis ville quæ Spurca dicitur, crebras molestias sustinebant annuente Venerabili Erlango Episcopo, mediantique loci Priore & Gerardo Comite: Bertholdo Comiti qui tunc temporis præfatam villam beneficij jure tenebat, tradita sunt duodecim jugera terre arabilis in loco, qui Eigalmannefweri dicitur: eâ nimirum conditione, ut illud prædium in jus Sancti Kiliani concederent: Fratres autem viam ad Mogum ducentem duarum hinc & inde perticarum, cum duabus partibus agri & prato perpetualiter obtinerent. Hujus concambij pactum multis testibus adstipulantibus est actum. Bertholdi hominibus fideliter affirmantibus se amplius & utilius accepisse, minus & vilius dedisse.

Concambium
cum
Spurcanis.

Igitur cum sæpe dictus locus usque ad nostra tempora prosperè procederet,

ex fidelium donationibus in dies augeteretur, homines malitiosi invidia diaboli per-
moti ejus loci jura temerare, fines invadere, fratres ibidem Deo militantes pertur-
bare conati sunt. Quibus nos, Deo animati, zeloque justitiae inflammati satis im-
pugnè obviavimus, ac tempestatem diabolico spiritu concitatam Deo favente seda-
vimus. Quapropter ne deinceps patiantur similia à similibus perversis scilicet ho-
minibus, ad perennem fratrum ibi degentium tutelam hanc chartam fieri, Sigillisque
nostri impressione insigniri iussimus; per Dei terribilem majestatem, & Beati Petri
Apostolorum Principis auctoritate prohibentes, & modis omnibus interdicientes,
ut nullus mortalium predicto loco calumniam, seu violentiam presumat inferre,
sed fratres inibi positi sub Abbate Hirsaugiensi degentes, ejusque preceptis obedien-
tes, ab omnium de cetero dominatione liberi sint & absoluti; quatenus in pace,
quieteque viventes, pro statu Regni, pro pace nostrae, imo totius Ecclesiae liberius
valeant Deo supplicare; Advocatum sanè vel consilio, parique consensu delegerit.
Predijs illuc collatis, & adhuc conferendis, mancipijs, familijs, & omnibus om-
nino pertinentijs ea sit immunitas, ut nisi Monasterij poposcerit utilitas, nullus ex his
aliquid distrahendi, concambiendi, precariandi potestatem habeat. Quod si quis
haec infringere, vel convellere tentaverit, anathemate perpetuo se tenendum no-
verit; & nisi respiciat vindictam S. Dei Genitricis, & B. Joannis excipiat, &
cum maledictis & reprobis omnibus fiat perditionis filius. Testes hujus rei sunt
Adam Abbas de Eberaha, VVignandus Abbas de Tharissa, Hartman Abbas de
Suarza. De Clericis Otto Praepositus majoris Ecclesiae, Sigefridus Praepositus;
VVortovinus Decanus; Gebehart. Burchart. Emicho. Henricus. De Liberis Gote-
boldus Urbis Praefectus. Rupertus de Castelle & filij ejus. Rupertus & Herman. Gi-
so de Hildeneburg. Reringher, Beringher. De Csamburg & frater ejus. Trageboto;
De Ministerialibus. Cunrad de Bleichfeld & filius ejus Adelbertus. Cunrat de Boz-
zenheim. Harmut. Cunrat. Folenant. Folcher. Otto de VVindeheim & filius
ejus. Otto Richalm. Bilhang Rutzvich. Henricus. Herolt VVolftram gurlei. Si-
geboto. Acta sunt haec anno Incarnationis Dominicae MCXXXVIII. Indictione se-
cundâ. Regnante Conrado anno primo Regni ejus. Data VVirzeburg per manum
Gebhardi IV. Calend. Martij in nomine Domini.

M C X L.

Año Volmari Abbatis xx. mortuus est Diemo hujus Cœnobij Hir-
saugiensis Monachus & aliquanto tempore Prior. Vir in observantia Re-
gularis disciplinae ferventissimus: qui tantam puritatem mentis coram Deo
ambulare studuit: quod Prophetiae spiritu illustratus fuit. Multa enim
futura praedixit fratribus: quorum veritatem rei probavit eventus. Se-
pultus est in Capella Beatae Mariae semper Virginis, quam singulari sem-
per devotione amavit.

Hoc ipso Anno S. Otto Bambergensis Episcopus mortuus est an-
no Pontificatus sui octavo atque tricesimo, & in Ecclesia S. Michaelis
Archangeli, quam multum amavit coluit, & vivus sublimavit in mon-
te Monachorum, ante summum altare sepultus est. Qui mox infinitis
corruscare miraculis coepit, ob quorum testimonium catalogo sancto-
rum meruit inscribi. Vir certè sempiternam memoriam dignus: qui multa
pro Dei honore bona fecit: Monasteria nova construxit, antiqua pul-
chra simul & Ecclesias magnificè reparavit. Et quod majus est omnibus,
Pomeranos & Stetinenses idololatrias cum multitudine paganorum ad
agnitionem veritatis convertit.

Anno

Episcopus
contra mo-
lestatores
Fratrum.Episcopus
malorum
conatibus
obviat.Schonrein
soli Abbati
subiaceat.Advocatus
dabit Abb.Testes qui
que fuerunt
Abbates.Diemo hic
Monachus
Sanctus.S. Otto Ep.
moritur.S. Otto fi-
delis Dei
Servus.

Archiepisc.
Moguntin.
Romam
vadit.

Anno etiam prenotato Adelbertus junior Moguntinorum Archiepiscopus ad Romanorum Curiam ab Innocentio Papa II. citatus (causam scriptor Historiæ non expressit) ut obedientiæ filius illò profectus est. Quem summus ipse Pontifex honorificè suscipiens paternè tractavit: & cum legationis titulo secundum antiquum privilegium ad propria remisit.

Rogerus
debellat
Apuliam.

His temporibus Rogerius Siculus, de quo supra dictum est, Apuliam denuo ingressus cum Duce Reinaldo, quem Lotharius quondam Imperator præfecerat terris, gravem habuit conflictum: victusque discessit. Interea Petrus Leonis, qui est Anacletus Romæ Antipapa moritur: & perniciosum schisma terminatur. Nec diu postea mortuus est, & ipse Dux Reinaldus. Quo vitâ defuncto Rogerius in Apuliam regrediens terram Duce orbatum nec rebellantem occupat: Rupertum Capuanum Principem fugat: & residuos varijs tormentis affligit, & cruciat: & tandem Siciliae & Apuliæ Regem se nominat. Rupertus autem Capuanus Princeps cum suis Comitibus ad Conradum Regem venit in Germaniam: à quo benignè susceptus, multo cum eo tempore fuit: expeditionem ejus in Italiam petens & expectans.

Dux Welfo
Conrado Regi
contrarius.

Interea Papa Innocentius cum populo Romano contra Rogerium bellaturus Apuliam ingreditur: & à Rogerio captus coronare illum in Regem Siciliae Apuliæque compellitur. Qui ex tunc auctoritate Apostolicâ sublimatus in Regem, nullum jam præter Conradum Regem Germanorum habebat, quem vereretur. Unde Welfonem Bavariæ Ducem Henrici Ducis superbi fratrem pecuniâ conductum sibi præsidium constituit: qui Regi Conrado expeditionem in Italiam paranti multo tempore transitum negavit. Venitur tandem ad bellum exercitibus ab utraque parte non parvis apud Neresheim in Augustensi Diocesi manus atrociter conferentibus: ubi caesis multishinc & inde, victoria cessit Regi Conrado: Duce Welfone & suis ad præsidium fugientibus.

Henricus
Dux Bavarie
mori-
tur.

Henricus interea superbus Bavariæ Saxoniamque Dux morbo gravatus, & senio, nec minus ærumnarum suarum melancholiâ depressus moritur: & in Monasterio Lotharij quondam Imperatoris, quod Konigslutern Saxones appellant, juxta focerum sepelitur. Saxoniam Ducatum Adelbertus Marchio de Soltvedel, sicut dictum est, Rege donante obtinuit: quod Saxonum voluntati valde contrarium fuit. Post mortem Ducis Henrici frater ejus Welfo Dux in Bavaria graviter ferens felices successus Regis Conradi simul & damnorum memor, quæ bello sustinuit nuper commissio: novum denuo exercitum congregat: alterumque Regi conflictum minaciter parat. Commissum est itaque prælium juxta villam, quæ Ellenhoven dicitur, non procul ab oppido Wynsberg in quo multi ceciderunt: iterumque victoria Regi cessit Conrado.

Bellum in-
ter Regem
Conradum
& Welfo-
nem.

Ducatus
Bavarie
datur Au-
stralibus.

Veruntamen Dux Welfo quamdiu vixit, rebellis Conrado Regi extitit, & Rogerij partes omni tempore pro viribus defensavit. Sunt qui scribant Welfonem in eo bello fuisse occisum, & Bavariæ Ducatum Lupo Marchioni Austriæ donatum à Rege Conrado: quem Fridencus Imperator postea primus legitimis hæredibus restituit. Prælio autem juxta Ellenshoven sicut diximus, consummato, & Duce Welfone divina præordinante providentiâ devicto, Rex Conradus castrum ipsius Ducis & Oppi-

& oppidum Wynsperg obsidione vallavit: & tandem sub ea conditione in deditionem accepit: sub qua Reges consueverunt inimicis capitalibus, quos potenter suo subdididerint Imperio, vitam cum rebus auferre. Nam præter infantes & pueros, quidquid sexus erat in hominibus virilis aut morti, aut captivitati fuit obnoxium. Mulieribus duntaxat, & pueris liber permittebatur egressus: ita tamen quòd nihil secum deferrent.

Quæ consilio inter se habito Regis clementiam prostrata in terram rogabant ne vacuæ pellerentur ab oppido: sed liceret unicuique de suis proprijs secum deferre, quantum humeris deportare potuerint. Et annuit Rex. At illæ contemptâ suppellectili, rebusque universis animo virili contemptis, maritum suum unaquæque dorso imponens suo extra oppidum per medium castrorum deportabat. Fratre autem Regis Duce Suevorum Friderico suadente ne talia permitterentur, Cæsar respondit: Non decet Regis immutare sermonem. Delectatus industriâ mulierum Conradus, singulis res suas cum viris indulisit.

In prænominato prælio, quod fuit inter Conradum Regem pro Regno & Guelfonem Ducem pro Papa Innocentio, & Rogerio Siculo, duo illa partialitatum perniciosarum vocabula, quæ apud Italos permanent usque in præsentem diem *Guelf*, & *Gibelin* sumpserunt initium. Nam inter præliandum, qui erant ex parte Ducis Guelfonis, ut fieri solet, clamabant: Hic *Guelf*. hic *Guelf*. Illi verò qui erant ex parte Conradi Regis vociferantes *Gibelin* ingeminabant. Ex illo tempore in Italia cum Papa sentientes *Guelf* nominati sunt: qui autem partes sequuntur Imperiales. *Gibelin* vocantur. Sunt alij hujus vanitatis aliâ assignantes causâ, & scribunt, duos extitisse moriones in exercitu Regis Conradi quorû alter *Guelf*, alter verò *Gibelin* fuerit nuncupatus. Qui coram multitudine ludentes in modum duelli pugnabant: *Guelf* Romani Pontificis, & *Gibelin* partes Conradi Regis jocosâ fictione tuentes, & ex hac levitate seriofam partialitatum nuncupationem ortam confirmant.

His ferme temporibus quidam homo Henrico Regi V. simillimus apud Solodorum aliquanto tempore vitam inclusus duxit eremiticam: indeque tandem egrediens vagabatur per Regnum, & se Regem esse Henricum multis persuasit incautis, in tantum, quod graves propter eum pugnæ fiebant, & cædes: alijs illum pro Henrico Imperatore suscipientibus: alijs verò seductorem esse palàm dicentibus. Tandem falsitate probatâ Monachus Cluniaci efficitur.

MCXLI.

Anno Volmari Abbatis XXI. Conradus Rex Conventum Principum Ratisponæ ad Festum Pentecostes celebravit, in quo multa tractabantur consilia pro dispositione negotiorum Regni. Saxones non satis bene cum Regesentientes Adelbertum de Soltvedel, quem eis constituerat Ducem gravi odio insequiebantur. Adelbertus quoque junior Moguntinus cum Saxonibus adversum Regis Imperium conjurasse notatus est, ingratum se creatori demonstrans suo: quippe qui ejus duntaxat jussu Archiepiscopus fuerat ordinatus.

Eodem quoque anno mortua est Imperatrix Richiza uxor quondam Lotharij Imperatoris, & in Luterensi Ordinis nostri Monasterio in Saxonia cum marito & genero Duce Henrico honorificè sepelitur.

Ggg

Anno

Oppidum
Wynsperg
capitur.Mulieres in
viros por-
tant.Guelforum
& Gibili-
norum ori-
go.Quidam se
Henricum
mentibatur
Regem.Conventus
Principum
Ratisponæ.

Adelbertus
fit Marchio
Brandenb.

Anno etiã prãnotato morte fuit sublatus è medio mortaliũ Henricus Marchio Brandenburgensis sine liberis, cuius Principatum Conradus Rex de Optimatum suorum consilio Marchioni Adelberto de Soltvedel Duci Saxonie in feudum imperiale concessit.

Fridericus
fit Archiep.
Magdeb.

Hoc ipso quoque anno mortuus est Conradus Archiepiscopus in Magdeburg propter Henricum Ducem Bavarie, & Saxonie cognomento superbum, Regi Conrado rebellem aliquamdiu & contumacem. Cui Fridericus major Præpositus in Pontificatu successit.

Marcolphus
fit Archiep.
Moguntin.

Eodem anno xvi. Calend. Augusti obiit Adelbertus junior Moguntinorum Archiepiscopus non diu post initum cum Saxonibus contra Regem Conradum fœderis ingratitudinem pactum: post quem Marcolphus Aschaffenburgensis Ecclesie Præpositus Archiepiscopus est ordinatus.

Henricus
Dux Austriae primus.

Anno quoque memorato Conradus Rex viduam relictam Henrici quondam Ducis Bavarie, Saxonieque cognomento superbi, filiam scilicet Imperatoris Lotharij uxorem dedit Henrico de Soltvedel Comiti, qui frater erat Ducis Saxonie ac Marchionis Brandenburgensis Adelberti, de quo supra diximus, & creavit eum Ducem Austriae, quoniam Ludolphum Ducem Bavarie constituerat.

Petrus A.
belardus fit
Monachus.

Claruit his temporibus Petrus Abelardus homo subtilis ingenio, Philosophus Rhetor, & Dialecticus omnium sui temporis in Gallia celebrissimus: & in divinis scripturis multum eruditus. Verum quãdam curiosã novitate verborum & sensuum scandaliza vit Ecclesiam, & sæpe admonitus per S. Bernardum, & alios emendare contempsit. Synodus contra eum in civitate Senonensi Episcoporum habita est, Ludovico Rege Gallorum præsente. Ad quam cum citaretur, iudices habens sibi suspectos in causa, ad Apostolicam Sedem appellavit. Denique virorum prudentium consilio tandem acquiescens omnes revocavit errores: poenitentiam egit, vitam in melius commutavit: & Monachus apud Cluniacum factus usque ad finem in Dei servitio permansit.

MCXLII.

S. Henricus
Abbas in
Breitennawe.

Anno Volmari Abbatis xxii. S. Henricus ex Monacho hujus Cœnobij Hirsaugiensis secundus Abbas Monasterij in Breitennawe, de quo supra diximus, quatuor corpora de collegio sanctarum undecim milium Virginum & Martyrum ab Arnolde Colonienfium Archiepiscopo impetravit, quæ in solemnitate Visitationis B. Mariæ semper Virginis, hoc est vi. Nonarum Julij ad Monasterium suum cum reverentia introduxit.

Nuptiæ
Ducis Austriae primi.

Hoc ipso anno Rex Conradus Pentecosten in oppido Franckenfurt juxta Moganum celebravit: ubi totius penè Regni Principes convenientes de communi pace Imperij longum habuerunt tractatum. Ibi celebratae sunt nuptiæ diebus xiv. Rege omnes præbente impensas Henrici supradicti Comitis de Soltvedel, & Gertrudis filiae Lotharij quondam Imperatoris, quam relictam diximus viduam Henrici Ducis superbi. Et nota, quod hic inter scriptores de Henrico filiam ducente Lotharij dissentio est. Nam alij dicunt illum Comitem de Soltvedel fuisse, & fratrem Adelberti Marchionis Brandenbugeusis: alij fratrem, atque alij filium Conradi Regis. Cui, nuptijs apud Franckenfurt celebratis, Rex dedit Marchiam Australem Ducemque creavit, quem filium exitisse, non fratrem

Opinio varia de isto Henrico.

trem constat. Primus enim Austriae Dux Regis Conradi extitisse filius dicitur.

His quoque temporibus B. Bernardus Abbas Claravallis Cisterciensis Ordinis a Sede Apostolica mittitur in Germaniam ad reformandam pacem & concordiam inter Conradum Regem, & Innocentium Romanum Pontificem. Enim vero putabat se non mediocriter laesum a Romana Ecclesia Rex Conradus, primum quod ab eo tempore Lotharij fuerat excommunicatus, deinde quod Rogerium Siculum Apuliae sublimavit in Regem; ac tertio quod Guelfionem Bavariae Ducem pecunia conduxerit ad inquietandum & oppugnandum ipsum simul & Imperium.

Veniente igitur S. Viro in Germaniam negotium sibi commissum a Sede Apostolica Regi Conrado in civitate Spirensi cum certis Principibus commoranti exposuit: & post necessarios hinc inde habitos ex more tractatus, pacem inter Sacerdotium & Regnum Domino largiente reformavit. Haec autem reconciliatio Spira quidem facta est; sed in oppido Franckenfurt Sigillis Principum extitit confirmata, mox litera desuper scripta sunt ad Romanum Pontificem.

Anno prae notato mortuus est Marcolfus Archiepiscopus Moguntinus; cui Henricus major Praepositus successit, qui duobus Cardinalibus & sanctissimo Abbate Bernardo Legatis Apostolicae Sedis astantibus in supradicto Conventu Principum Franckfur dia Moguntinae Sedis Regalia de manu Regis Conradi suscepit.

MCXLIII.

Anno Volmari xxiii. Adelbero Trevirorum Archiepiscopus Gerardum Abbatem, & Monachos Coenobij S. Maximini extra muros civitatis propter inordinatam eorum conversationem omnes de Coenobio expulit; & alios qui secundum Regulam SS. Patris nostri Benedicti viverent; introducens Monachos, quendam virum doctum Segerum, eis Abbatem ordinavit. Fuerunt qui scriberent hujus reformationis causam non zelum extitisse Regularis disciplinae; sed magis fulcimentum avaritiae. Quorum narratione constat praedictum Pontificem de Coenobio sancti Matthiae multa proprio usurpasse usui; & praefatum S. Maximini Monasterium, quod Regale est simul & valde abundans, de manu Imperatoris accepisse in beneficium: quatenus sibi provenirent Regalia Deo quondam & Sanctis ejus ab Imperatoribus pro honore ordinis assignata.

Abbas vero Gerardus aliquanto tempore mansit cum Abbate Montis Sancti Disibodi: interdum etiam cum Bernhelmo primo Spanheimensis Coenobij Abbate, suam haud dubie graviter ferens miseriam. Interea Monachi de Coenobio memorato expulsi, venditis clenodijs & ornamentis Ecclesiae, quae prius deportaverant, Comitem Namercensem, nunc vero Luzenburgensem mercede conductum adversus Archiepiscopum defensores sibi advocarunt.

Qui hostem se mox Archiepiscopo Adelberoni denunciavit, & praedas incendiisque in homines Ecclesiae facere coepit. Archiepiscopus autem suorum collecto exercitu, terras Comitis intravit, ejusque munitionem Rudolfsberg ipso ibidem existente obsidione vallavit. Qui videns se tanta multitudini non posse resistere, castro in manibus relicto

Ggg 2

Ponti-

S. Bernardus a Papa mittitur in Germaniam.

Inter Regem & Papam facit concordiam.

Henricus fit Archiepiscopus Moguntinus.

Abbas sancti Maximini Monachis expellitur.

Monachi Comitem Namercensem defensores vocant.

Comes hostem se facit Archiepiscopo.

gientse.

mediomortalit Principatum Conradus Adelberto de Solvrad

onradus Archiepiscopus Saxoniae & contumacem

Adelbertus cum Saxoniae actum: postquam

Archiepiscopus ex vidua cognomento

Brandenburgem Austriae

homo subditus temporis in Gallia

Denique vitio

Marie semper

ten in oppido

Regni principes

trement, acque

celebratis, Rex

ilium extitisse

Episc. xxx.
munitio-
nes Comit.
destruxit.

Pontificis occultè fugiens recessit. Capto autem Castello Præsul cum multis captivis revertens reliqua Comitum Manderſchijt, Colobrium, Barlandiam, & alias triginta munitiones ejus obtinuit, atque destruxit, ipsūque venire ad veniam coëgit. Monachi autem omni auxilio penitus destituti, alij ad parentes & cognatos suos reversi sunt: alij sicut poterant, in alijs sibi Monasterijs providerunt. Nos bono zelo motum Archiepiscopum non dubitantes; ejus constantiam laudamus: quid enim sunt Cœnobita in quibus non observatur disciplina Regularis; nisi quoddam ergasterium omnium vitiorum. Rectè igitur & Deo rem gratam faciunt; qui Claustrales ad observantiam sui Ordinis compellunt. Utinam Pontifices nostri omnes imitarentur istum.

Opus bonū
reformare
Monachos.

Cœlestinus
fit Papa II.

Anno prænotato Innocentius Papa II. moritur, & in Lateranensi Ecclesiâ sepelitur. Cui Fratrum electione communi successit Guido natione Tuscus, ex quodam Sanctæ Felicitatis Castello natus, qui dictus est Cœlestinus secundus, & præfuit mensibus quinque duntaxat, & tandem peste sublatu in Ecclesia prænominata Lateranensi sepelitur. Quo mortuo successit Lucius Papa ejus nominis tertius natione Bononiensis; & præfuit mensibus undecim, diebus novem. Hic antea Presbyter fuit Cardinalis sanctæ Crucis in Hierusalem qui eandem Ecclesiam nimiam vetustate penè collapsam de suis proprijs renovavit. Qui inito Pontificatu nihil prætermisit, quod ad expeditionem Hierosolymitanam necessarium putabat; sed morte præventus non complevit.

Filia Lo-
tharij Im-
peratoris
moritur.

Anno etiam præscripto Gertrudis filia quondam Imperatoris Lotharij: quæ primò nupsit Henrico Duci Bavarie cognomento superbo, ac deinde alteri Henrico quem Conradi Regis filium diximus, difficultate partus interijt; cujus corpus in Luterensi Monasterio cum Parentibus suis & priore marito sepulturam accepit.

MCXLIV.

Caput san-
cti Fœlicis
Papæ & M.
reperitur
in Breitten-
nawe.

Anno Volmari Abbatis xxiv. Indictione Romanorum septimâ. Die mensis Augusti vicesimâ Beatus Fœlix quondam Papa & Martyr apparuit S. Henrico ex Monacho hujus Cœnobij Hirsaugiensis, secundo Abbati in Breittenawe, de quo plura diximus ostendens sibi caput suum, quod in abside templi pluribus annis jacuerat absconditum. At vir Domini Henricus locum accedens, sibi per Martyrem sibi in visione ostensum caput sacrum reperit: quod cum summa devotione levans inter Sanctorum Reliquias collocavit.

Claruit histemporibus Dudechinus Præbyter Ecclesiæ Parochialis in Rogenstein Trevirensis Diœcesis haud procul à Confluentia vir studiosus & eruditus qui pro Christi amore cum alijs multis profectus ad terram Sanctam in subsidium Christianorum contra inimicos Crucis Christi Saracenos navali prælio pluries dimicavit. Reversus tandem cum salute in Patriam Cunone Monasterij S. Disibodi Abbate peregrinationis suæ historiam in uno volumine digessit. Epistolas etiam plures scripsit ad diversos.

MCXLV.

Conventus
Principum
in Spira.

Anno Volmari Abbatis xxv. Conradus Rex Conventum Principum celebravit magnum in civitate Spirensi, ubi multa fuerant propæce Regni consultata simul atque disposita, in quo quidem Conventu Nuncijs

ej comparuerunt Apostolica Sedis literas presentantes Lucij Papæ quibus Conradum Regem humili supplicatione rogavit, quatenus ad comprimendam Romanorum insolentiam, venire in Italiam dignaretur. Sed arduis Regni negotijs tunc occupatus Rex simul & peste deterritus, quæ totam Italiam & Romanos maxime premebat, Nuncios sine effectu abire permisit.

Interim dum Nuncij commorantur in Germania Lucius Papa moritur peste sublatus, & in Basilica S. Joannis Lateranensi sepelitur. Post Lucij Papæ mortem, Cardinales unanimiter elegerunt Abbatem S. Anastasij de urbe Roma, natione Pisanum Ordinis Cisterciensis Monachum quondam in Claravalle, sub magisterio S. Bernardi Abbatis, qui dictus Eugenius tertius præfuit annis octo, mensibus septem, diebus viginti. Vir optimus & sanctissimæ conversationis: qui crucem prædicari fecit in omni terra Christianorum & multa millia hominum ad subsidium terræ Sanctæ provocavit. Qui Romanorum insolentiam habens suspectam vocatis ad se Cardinalibus, in Monasterium nostri Ordinis de Forfa ibidem munus consecrationis accepit. Inde Romam redijt, sed non multos post dies in Galliam declinavit, ubi Ludovicum Regem Crucis signans cum alijs pluribus contra Turcas & Saracenos destinavit.

His temporibus Rex Conradus Genuensibus auctoritate Imperiali concessit monetandi signandique pecuniam, in auro simul & argento cum ipsius Cæsaris Imperijque nota, quod eatenus non habebant sed monerâ utebantur Papiensi, & quibusdam denarijs qui Bruneti dicebantur. Notam vero Imperij quis aquilam nesciat?

MCXLVI.

Anno Volmari Abbatis xxvi. Magnus terræ motus quindecies in die & nocte factus est: cujus impulsu non pauca ædificia corruerunt. Cometa similiter eodem anno terribilis apparuit, & anno sequenti magna pestilentia fuit.

Eodem Anno Nonis Decembris mortuus est Buggo Wormatiensis Episcopus anno Pontificatus sui tricesimo sexto: vir multarum virtutum, & per multas transiens adversitates, qui plura fecit bona, fecissetque majora, nisi pravorum persecutio hominum impedivisset opus & sanctum propositum ejus. Sepultus est per manus Guntheri ex Comitibus de Lyningen Spirensis Episcopi in Monasterio Schonaugiensi Cisterciensis Ordinis, quod ipse ut supra dictum est, in honore S. MARIE construxit. Cui mox in Pontificatu memoratæ Ecclesiæ successit Conradus ejus nominis primus, qui multas à multis sustinuit persecutiones. Vir bonus & Deum timens quem Tyrannorum impietas ab executione bonæ voluntatis multipliciter impedivit. Extat ejus epistola una ad sanctam Hildegardem Virginem Christi apud Bingios in Monasterio commorantem, in qua suarum deplorat incommoda miseriarum, & cum orationum instantia petit suffragium. Hoc ipso anno Conradus Rex pro quibusdam negotijs Regni Legatos suos misit ad Constantinopolim, inter quos primus & principalis fuit Embrico Episcopus Herbipolensis Monasterij mei fundator, quod in honore S. Jacobi consecraverat in suburbio civitatis, causa Legationis una fuit, quod Rex ire ad terram Sanctam pro ferendo Christianis auxilio proposuit, & iter securum per terras

Ggg 3

Im-

Lucius Papa III. moritur Eugenius III. succedit.

Rex Monetam concessit Genuensibus.

Terræ motus fit, cometa apparuit.

Buggo Wormatiensis Episcopi obiit cui successit Conradus.

Rex Legatos misit Constantinopolim.

Ludovicus
Rex Gallo-
rum Crucē
suicipit.

Imperatoris Græcorum sibi præparare cautionibus utile iudicavit: Anno prænotato Ludovicus Rex Gallorum divino Spiritu com-
punctus memor etiam sui reatus, quo priori anno Vitriacum Comitum
Theobaldi oppidum incendiō destruens mille trecentos homines in Ec-
clesia peremerat, Cruce signatur ab Eugenio Papa, & cum innumerabili
multitudine peregrinorum in auxilium terræ Sanctæ proficiscitur.

Anselmus
fit Episcop.
ex Abbate.

His etiam temporibus Ecclesia Tornacensis quæ per annos ferè sex-
centos à tempore videlicet S. Medardi proprio Pontifice carens sub cura
Novionensis Episcopi servavit: proprium Episcopum accepit. Eugenius
etenim Papa III. cum fugatus à Romanis venisset in Galliam, Ecclesiæ me-
moratæ compassus est: & de consilio virorum timentium Deum Abba-
tem S. Vincentij Martyris Lugdunensem nomine Anselmum Tornacensi-
bus Pontificem ordinavit, virum in scripturis sanctis eruditum, & morum
integritate venerabilem, consilio cautum & singulari sapientiâ præditum.

MCXLVII.

Eclipsis
solis & pe-
silitia.

Anno Volmari Abbatis xxvii. Eclipsis solis facta est sexta, & vi-
cesimâ die mensis Octobris circa horam diei quartam, & fuit ipso anno
pestilentia magna per universam penè Europam quæ multa millia ho-
minum prostravit, imò etiam brutis non pepercit. Anno verò sequenti
fames incredibilis subsecuta multos afflixit.

Embrico
Epif. Her-
bipolensis
moritur,
cui succe-
dit Sigefri-
dus.

Eodem anno Embrico Episcopus Herbipolensis rediens de Lega-
tione sua ex Constantinopoli, quò priori anno missus à Rege Conrado
fuerat, apud Aquileiam moritur, & in majori Ecclesia sepelitur. Alij
scribunt corpus ejus aromatibus conditum & in Franciam à suis relatum
atque in Ecclesia Wirzburgensi cum honore sepultum. Hic est Embrico Re-
verendissimus Præsul, qui Monasterium meum titulo S. Jacobi constru-
xit, & multos pro Dei honore labores impigrè toleravit, de quo anno
Volmari octavo diximus. Huic in Pontificatu Wirzburgensis Ecclesiæ
fratrum electione successit Segefridus vir bonus & pacificus, & præfuit
annis x. Mortuus est etiam hoc ipso anno Egebertus Episcopus Bam-
bergensis successor D. Ottonis pro quo Eberhardus constituitur.

S. Bernar-
dus mira-
cula fecit.

Anno prænotato Eugenius Papa S. Bernardum Abbatem Clara-
vallis denuo misit in Germaniam prædicare Crucem contra Turcas, Sa-
racenōsq; infideles & exhortari populum Dei ad subveniendum terræ San-
ctæ ubi Christianorum exercitus graviter à spurcissima gente Mahumetica
premebatur, venit ergo miss⁹ vir Dei ad nostros Germanos, & verbo simul
efficacissimo non minùs quàm miraculis multa millia in Christi militiam
excitavit nam ubicunque Verbum DEI seminavit, multa miracula fecit,
in Territorio namq; Constantiensi unâ die undecim numero cæcos suis
meritis & precibus illuminavit, mancos aridōsque sanavit decem, &
claudis decem & octo gressum restituit. Cum prædicaret negotium Cru-
cis in ipsa civitate Constantiensi misit ad eum Abbas Monasterij Augien-
sis hominem cæcum, quem pro Dei nutritivo honore postulans, ut illum
suis orationibus illuminare dignaretur, at vir DEI precibus ad
Deum suo more suis cæcum pauperem mox videntem remisit Abbati.
In eadem Diocesi alium à nativitate cæcum illuminavit, mutum fecit
loqui & surdum audire; sed & alia plura ibidem, gratia Dei per eum fuit
operata. Cum in civitate Basiliensi sermonem faceret pro Crucis hono-
re ad

re ad populum : corda multorum in verbo ejus compuncta sunt , & plures Christi militiam assumpserunt. Sermone quodam die in eadem civitate finito, presentata ei foemina quaedam muta, super quam orationem factus fudit, & mox foemina locuta fuit, caecum quoque hominem sibi oblatum illuminavit : & maximam multitudinem hominum inspectante claudogressum restituit. In civitate Spirensi, Rege Conrado presente simul & Gunthero Episcopo cernente, oblatum sibi puerum claudum sanum perfecte reddidit. In Capella memorati Pontificis Rege similiter vidente mulieri cuidam caeca visum praestitit : & gressum claudogressum dedit.

His miraculis & sermonibus D. Patris Volmarus Abbas cum duobus Monachis Burckhardo & Conrado senioribus interfuit, cum eo manducavit & bibit, se & Congregationem suam totam orationibus illius commendavit. E Spira vir Sanctus descendit ad Franckenfurt comitantibus cum Rege Conrado & certis personis spiritualibus atque Principibus, ubi Verbum DEI praedicavit cum fiducia pluresque diversis languoribus oppressos Deo miserante sanavit : & multos in auxilium terrae Sanctae provocans Crucem iturus imposuit. Inde navigio descendens pervenit ad Bingios, ubi Hildegardis Monialis Virgo Christi devotissima, de qua postea dicemus, in monte Sancti Rupertii construxit Coenobium, cum qua dulces fertur, de futura felicitate miscuisse sermones. Erat namque Divo Bernardo Sancta Christi famula, & scriptis nota, & relatione multorum in Domino comprobata, ad quam cum pervenisset post orationes consuetas, & salutationis obsequia praecipit sibi volumina exhiberi, quae illa divinitus inspirata conscripsit, quibus diligenter ex parte revisis ultra quam dici potest admirans dixisse fertur ad socios: *Hec scripta non sunt humanitus adinventata, nec potest ea mortalis homo capere, nisi ad Dei similitudinem intus & in anima fuerit reformatus per amorem.* Ad haec Praepositus virginum Monachus devotus & sanctus nomine Heribertus viro Domini respondit: *Reverende Patet, vera quidem sunt quae dixisti, sed multi homines docti & indocti, Religiosi & mundani, animam famulae Christi quotidianis obloquutionibus cruciant, dum cerebri phantasmata, aut fallaciter per demones indocta foemina garrulantur immissa.* Cui Vir Dei: *Non miramur, inquit, frater charissime, si dormientes in peccatis divinas revelationes existiment somnia, cum sciamus verum dixisse Sanctum Apostolum; animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi & non potest intelligere quia spiritualiter exanimatur, omnibus enim in peccatis superbiae, luxuria, avaritiae seu alijs vitijs quasi dormiendo jacentibus, divinae admonitiones consueverunt somnia videri, quoniam si vigilarent in timore Domini signa divinae operationis vera cognoscere. Qui autem haec imitti a demonibus existimant, ostendunt se divinae contemplationis nullam penitus habere scientiam, similes illis judicandi sunt, qui Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum in Beelzebub potestate Daemonia eijcere dixerunt.* Ad S. quoque Hildegarden per interpretem: *& tu filia, inquit, non timeas locutiones hominum cum Deum habeas protectorem, quoniam illorum sermones peribunt ut stipula, verbum autem Domini manet in aeternum.* Post haec vir Dei navigio descendit ad Bopardium, Confluentiam, Treverim, Coloniam, atq; Leodium civitatem magna quondam Lotharingae crucem ubique praedicans, & Domino sermonem cooperante sequentibus signis : & in-

Volmarus
Abbas XV.

1111

S. Bernardus
visitavit S.
Hildegardem
dem Bingis.

Scripta
Virginis
Commen-
dantur.

Verbum S.
Bernardi
notabile.

Bernardus
confortat
Hildegarden.

Miraculis
ubique Ber-
nardus cla-
ruit.

Cœnobii
S. Ruperti
fundatur.

numerabilem multitudinem hominum ad militiam Dei excitavit.
His temporibus ut dictum est B. Hildegardis patriâ Spanheimensis ex villa Bikelheim oriunda Sanctarum Virginum Deo in monte D. Prefulis Disibodi famulantium post dormitionem b. m. Domine Gutte Magistra crebris visionibus admonita divinitus ut Monasterium construeret apud Bingios cum xviii. virginibus sacris de Abbatis sui Cunonis licentiâ illò transieavit, & Cœnobium in monte juxta Nahum fluvium in opposito Bingensis oppidi, ubi quondam Sanctus fertur habitasse Rupertus Dux & Princeps Bingionum, tempore Pipini ultimi Regis Magni Francorum. Hunc igitur montem cum sepulchro S. Ducis Ruperti, ac necessarijs loci pro capacitate Monasterij S. Virgo partim ex oblatione fidelium precibus obtinuit, partim à quodam Comite de Hellehaim pretio comparavit. Sed & partem non modicam ex donatione Meginhardi Comitis de Spanhaim obtinuit, cujus soror extiterat Jutta Virgo sancta, & Institutrix Beatæ Hildegardis cujus hic mentionem facimus, constructo autem Cœnobio devota Christi famula cum sacris sibi commissis virginibus in omni Sanctitate vivere studuit, & conversationis institutū secundum D. P. N. Benedicti Regulam in omnibus direxit multisque miraculis claruit. Hæc Sanctissima Virgo Hildegardis revelationibus divinis à pueritia relevari meruit: in quibus miranda vidit, & audivit, quæ cum latini sermonis esset ignara penitus, multa nihilominus quæ in revelationibus divinitus didicit, latino & congruo sermone scripsit de cujus mirandis opusculis nos vidimus, & legimus subiecta in Regulam S. P. N. B. brevem explanationem lib. i. Ad Wigbertum Monachum Gemblacensem super triginta quæstiones responsalem lib. i. vitam S. Ruperti Ducis Bingionum lib. i. de vita S. Disibodi Hiberniensis Episcopi lib. i. Octo, & quinquaginta homilias super Evangelia Dominicalia per anni circulum lib. unum. De Sacramento Altaris contra quosdam Hæreticos librum i. Volumem quoque magnum quod *Scivias* prænotavit, in quo de via Domini atque Sanctorum ejus valde subtiliter disputat. Aliud etiam volumem quod *vite meritorum* prænotavit, & in tres libros divisit. Volumem simplicis Medicinæ, opus naturale multumque mirabile lib. i. Aliud compositæ Medicinæ librum unum. Volumem magnum, cujus titulus est: *Divinorum operum*. Epistolarum ad diversos magnum volumem composuit, inter quas plures vidimus Epistolas ad eam Eugenij Papæ III. Anastasij IV. Alexandri quoque tertij, Conradi Regis tertij, Friderici Imperatoris primi, Archiepiscoporum, & Pontificum etiam Hierosolymitani, Moguntinensis, Trevirensis, Colonienſis, Bremensis, Salzbürgensis, Bambergensis, Spirensis, Constantiensis, Wormatiensis aliorumque multorum, qui ex diversis mundi partibus famâ Sanctitatis ejus divinarumque revelationum provocati, per nuncios, & epistolas illius se orationibus commendantes, literas ab ea responſales devotissimè postularunt, sed de his alibi &c.

Opuscula
S. Hilde-
gardis.

Romani
Pontifices
& Imperatores
ad eam
scripserunt.

Inter Mo-
guntinum
& Bambergensem
Episcopos
discordia.

Hoc anno prænotato gravis dissensio fuit suborta, inter Henricum Archiepiscopum Moguntinum, & Eberhardum Bambergensem. Nam S. olim Henricus Imperator prædictum Episcopatum de novo instituens à Jurisdictione Moguntini Archipræfulis statuit exemptum, subijciens cum Romanæ Sedi sine medio protegendum; Cujus vigore Pri- vilegij

vilegij memoratus Præful Eberhardus consecrationem suam, à quodam Apoftolicæ sedis Legato suscipiens, Archipræfulis Moguntini consensum, requirere non curavit. Hinc motus Archiepiscopus se minùs justè putabat contemptum, & propterea contra Eberhardum Bambergensem Pontificem animum induravit. Extat super his ad Eugenium Papam tertium, Eberhardi talis Epistola: *Reverendissimo Domino Patri & Creatori suo Eugenio summo Pontifici Sanctæ Catholice Ecclesie: Eberhardus Bambergensis, humile opus manuum suarum, divinâ & Apostolicâ gratiâ, si quid est, cum universis commenbris suis & confratribus debitam in Christo obedientiam, & omnem sue possibilitatis devotionem. Benedictus Deus qui universæ Ecclesie sua benedixit ad introitum vestrû: & post magna luminaria firmamenti qua quasi nocti præerant extincta luminare majus, ut præfesset diei, accendit in persona vestra. Verè etenim vestris, & temporibus, & meritis exortum est in tenebris lumen rectis corde, lumen utique ad illuminationem gentium, & gloriam plebis Israël; quâ luce illuminati fideles in fide per dilectionem operantur, & infideles ad fidei unitatem in brachio divina virtutis aggregantur. Quod commune gaudium universæ terræ tanto nos specialius attingere credimus, quando vobis arctiori vinculo servitutis, & obedientiæ subjacemus. De cetero misericordia vestra Clementissime Pater, & Domine ante oculos nostros semper est, quia verò meritum nostrum prevenistis in benedictionibus dulcedinis, unde non quantas debemus, sed quantas possumus in conspectu divina Majestatis sanctitati vestre humiliter gratias referimus: quidquid boni nobis est post Deum vestre Paternitati ascribimus. Ut autem inter prospera, simul homines, adversa nobis non deesse divina providentia disposuit: Domino Archiepiscopo Moguntino non judicialiter agente nobiscum, sed exitialiter nos persequente eò quod vestram obedientiam sua præponimus, & quod in Episcopali benedictione percipienda de plenitudine gratiæ vestre participare præsumpsimus, & fonte potius quam de rivo potare maluimus, cujus rei immanitas usque adeo excrevit, ut Moguntini nobis servis vestris & filijs (si dicere audeamus) mortis periculum, & Ecclesie vestre minitari præsumant excidium. In his autem omnibus unicum in vobis spei nostre refugium habentes à vestra auctoritatis sententia ita pendemus, ut neque mors neque vita à vestra nos separrare possint obedientia. Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, & ad consolationem omnium fidelium temporum vobis tranquillitatem concedat, &c.*

MCXLVIII.

Anno Volmari Abbatis xxviii. Conradus anno priore signatus Cruce per Hungariam, & Græciam cum exercitu magno è tota Germania confluente ad terram Sanctam in auxilium Christianorum profectus est. Qui veniens in Syriam Christianos valde suo lætificavit adventu: fertur enim homines loricatedos secum adduxisse plusquam septuaginta millia, demptis illis qui minùs exercitati ad arma, pedites nuncupantur. Sed omnis illa Christianorum potentia, quæ invincibilis poterat æstimari, à Saracenis, & Turcis in solitudine vallata, telorumque & sagittarum impulsu nimium fauciata, & contrita est, ut vix pars decima remanserit, reliquis novem partibus aut captis ab infidelibus, aut occisis.

His quoque temporibus Eugenius Papa III. Nicolaum ex Monacho nostri Ordinis Albanensem Episcopum natione Anglicum, qui postea summus Pontifex creatus, Adrianus IV. est dictus: virum in divinis scripturis eruditum, & declaratorem egregium cum quibusdam Monachis,

Hhh

atque

Exemplar
Epistolæ
Bamber-
gensis Epi-
scopi ad
Eugenium
Papam.

Factum
narrat Ata-
chiepisc.

Conradus
Rex cum
exercitu
tendit Je-
rusalem.

Norvegia
convertitur.

atque Præbyteris viris doctis misit in Norvegiam ad barbaram gentem eâ tempestate adhuc idolorum culturæ deditam, & à cognitione Christianæ Philosophiæ penitus alienam. Qui Sanctissimus Præsul verbo simul, & exemplo religiosissimæ conversationis populum illum, Domino miserante, Christi convertit ad fidem.

S. Henricus
Imperator
canonizatur.

Anno prænotato Eugenius Papa III. ad instantiam supradicti Eberhardi Episcopi Bambergensis S. Henricum ejus nominis II. Regem, sed primum Imperatorem Romanorum, qui memoratum fundavit Episcopatum, & in eadem Ecclesia jacet sepultus, ob crebra ejus miracula Sanctorum catalogo jussit inscribi, anno post transitum ejus quinto decimo. atque centesimo, de quo longè diximus supra, anno videlicet. Monasterio isto vacante, primo.

Gotfrid. ex
Comite Palat.
Monachus.

Hoc anno mortuus est Gotfridus ex Comite Palatino, ex Tubingen Monachus Cœnobij Hirsaugiensis, & in Ecclesia ejusdem Monasterij sepultus. Hic filius erat Adelberti Comitis de Galba reparatoris Monasterij sancti Aurelij de quo plura supra diximus, qui uxorem habuit filiam Welffonis, cujusdam Ducis Bavariæ: quâ tandem mortuâ comam capitis pro Christi amore deposuit, & habitum Monasticum in hoc Monasterio suscepit. Qui Monachus factus omnia contempsit mundana, & se totum ad inquisitionem æternorum conferens, cum esset senio gravatus vitam in brevi terminavit.

Post

Post cujus mortem Conradus Vormatiensis Episcopus qui Bugoni successerat, in somnis quâdam nocte visionem vidit memorandam: Videbat se apud villam Heilebron, qua nunc oppidum est Sueviæ constitutum, ubi Henricum Regem quintum cum alijs nonnullis Regni Principibus jam vitâ defunctis, quos dum viverent optimè noverat, putabat residentes. E quorum medio Gotfridus, de quo loquimur, conlargens ad Episcopum accessit & salutavit, erat autem facie pallidus, & quasi longâ inediâ consumptus, tanquam si squalido in carcere diutius fuisset inclusus: ad quem Episcopus dixit: Quæ, dic mihi, est causâ quod facie tam pallidus nunc appares & lividus, qui mundum pro Dei amore contemnens, Monachum in sancta illa congregatione Hirsaugiana vixisti, quod salutem maximè debuerat profuisse tuæ? cui defunctus: adhuc inquit, detineor in pœnis propterea quod Monachis & Fratribus meis Hirsaugiensibus in necessitatibus eorum tam fideliter non studui subvenire, quantum debui, & potuissem cum essem defensor Monasterij constitutus atque protector, sed avaritiâ mentem obcecante meam, contra Jus advocatiæ munera & servitia pro defensione ab illis violenter exigebam. Et vae omnibus qui aut munera extorquent ab Ecclesijs aut Monasterijs, quibus defensores & advocati sunt constituti ad servitia, quia non pro Dei amore, sed pro terreno lucro serviunt, & justitiam vendunt, & quia mercedem in præsentem vitam contra Jus æquitatis accipiunt, propterea post mortem justè damnabuntur: unde per omnipotentem Deum te obtestor, quatenus Fratres meo nomine rogare non negligas, ut orare pro me dignentur attentius; quoniam si mihi precibus suis subvenire voluerint, à pœnis citò liberabor. His dictis signum dedit Pontifici, quod fides monenti præstaretur.

Notent ad-
vocati Mo-
nasteriorum.

MCXLIX.

Anno Volmari Abbatis xxix. in dictione Romanorum XII. Eugenius

nus Papa III. convocatis ex omni Germania & Gallia Episcopis Generale Concilium in civitate Remorum celebravit, in quo convenientibus multis multa pro communitate, & utilitate Christianorum ordinavit. In hoc generali Concilio Arnoldus Colonienſium Archiepiſcopus, de quo ſupra diximus anno Volmari Abbatis XVII. per auctoritatem Eugenij Papæ ab Episcopali officio ſuſpeditur, propterea, quod vocatu ſad Synodum, pro ut tenebatur, venire aut neglexit aut diſſimulavit.

Anno quoque præſcripto Conradus Rex de Tranſmarina peregrinatione in Germaniam reverſus eſt maximâ eorum multitudine, qui priori anno cum ipſo mare tranſierant ab infidelium Saracenorum manibus crudeliter in captivitate detentis vel occiſis, cujus peregrinationis ſpœlixa hiſtoria cum alibi habeatur diſſuſè conſcripta, ſuperfluum judicamus iſthic ſuper ea longiùs evagari.

Hoc ipſo anno reverſus ab Hieroſolymis Rex Conradus Principes Imperij convocavit in civitatem Spirenſem, cum quibus habuit varios de Regni ordinatione tractatus, ac poſtremò filium ſuum Henricũ, cui Marchiam Auſtriæ donaverat, creans eum in Ducem, ut ſupra dictum eſt Anno Volmari Abb. XXII. in Regem ſublimary obtinuit, quem inungi & coronari, ut moris eſt, Aquisgrani fecit. Qui Henricus non diu poſtea ſupervixit, quoniam ante Patrem moriens, neuter eorum Imperij coronan habuit.

Anno prænotato ſecundâ die Menſis Novembris obiit in Clarevalenſi Monafterio S. Malachias ex Monacho Wintonienſi in Anglia noſtri Ordinis, primò Episcopus in civitate Hiberniæ Leſinor dicta, poſtea vero in Connereth, & poſtremò in Ardinacha Archepiſcopus; Vir Apoſtolica vitæ totius perfectionis exemplar, qui multis in vita ſimul & poſt mortem coruſcavit miraculis, de quo mentionem fecimus Anno Volmari Abbatis VII. cujus vitam S. Bernardus deſcripſit.

Hiſtemporibus magna inter Clerum & cives Wormatiennes diſſenſio fuit exorta, in multarum periculum animarum. Nam bona Eccleſiæ in direptionem fuerunt expoſita, & non erat qui Miniſtrorum Chriſti vindicaret injurias. Conradus quoque Rheni Palatinus Comes Frater Friderici poſtea Imperatoris I. qui morabatur circa Neccari fluenta in motibus, multas Cleri poſſeſſiones in circuitu, ac Regionis violenter diripuit, ſuiſque uſibus injuſtè mancipavit, Wormatiensium Antifites Conradus per ejus tyrannidem multa ſuſtinuit.

Anno prænotato filius Megenhardi Comitum & Fundatoris Monafterij quondam mei in Spanheim nomine Craſto in eodem Cœnobio pro Chriſti amore Monachus factus, mundum cum ſuis vanitatibus tranſitorijs deſpexit. Qui cum eſſet vir nobilis, & ſapiens profeſſioni ſuæ omni tempore pro viribus ſuis ſatiſfacere ſtudiit: & in cunctis ad puritatem Regulæ ambulavit; unde mortuo primo Abbate Bernhelmo, dignè ſuccedere meruit, ut ſuo loco dicemus. Cauſa converſionis ejus iſta fuit. Deſponſaverat ſibi Pater Megenhardus Clementiam Comitum Adolphi de Hohenberg filiam Virginem corpore pulchram, prudentiâ ſimul, ac moribus pulchriorem; hæc ſuam virginitatem Chriſto perpetuò ſervare cupiens in violatam, conſenſum ſponſi petijt & obtinuit: ac Monafterium Sanctæ Irminæ, quod Horreum nuncupatur, in civitate

Concilium celebratur. Remis Episcoporum.

Archiepiſc. Colonienſis ab officio ſuſpeditur.

Conradus Rex de Hieruſalem revertitur.

Conradus Regis filius in Regem Romanorũ deligitur.

S. Malachias Archiepiſcopus moritur.

Conradus Comes Rheni Palatinus.

Comes fit Monachus in Spanheim.

Trevirorum ingressa monialis facta est: ubi usque ad mortem in sancta conversatione annis non paucis perseveravit: Crafftio autem sponsus eius devotione compunctus, sicut dictum est, Spanheimense Cœnobium intravit.

M C L.

Anno Volmari Abbatis Hierfaugiensis xxx. hiems dura & ni-
miùm prolongata fuit, acies igneæ in cælo visæ fuerunt, & totus annus
calamitosus, & plenus miseriarum subsequenti præfagium futurorum de-
dit. ignis & aqua per diversas mundi partes, multas clades, damna, & in-
commoda mortalibus intulerunt.

Annus ca-
lamitatib⁹
plenus.

Miraculū
crucifixi
non con-
busti.

Hoc ipso anno Trajectensis civitas in Hollandia cum Ecclesijs,
Monasterijs & ædificijs penè cunctis incendio conflagravit & perijt. Erat
in Ecclesia quadam Crux una lignea imaginem Salvatoris nostri conti-
nens sibi ferreis clavis annexam, quæ templo jam ardente, de alto in pa-
vimmentum decidit: & tecto cum trabibus ardentibus desuper cadentibus
integra permanit. Nam etsi diutissimè in medio jacuerit incendij,
sana tamen & illæsa inter cineres reperta est: lignis reliquis in toto con-
sumptis, clavis etiam ferreis quibus imago Dominica ad crucem fuit
compacta liquefactis & resolutis. Mira res. Durat lignum ubi consu-
mitur ferrum, & imago Crucifixi parva sine læsione integra permanet;
ubi trabes maximæ transeunt in favillam. Hæc crux ad memoriam facti
in templo sancti Bonifacij Martyris atque Pontificis reposita est, &
servatur cum honore usque in præsens.

Eugenius
Papa venit
Trevirim.

Anno prænotato Eugenius Papa III. venit ad Treverim cum de-
cem & octo Cardinalibus Episcopis quoque & Abbatibus multis, in vicinis
ab Adelberone Trevirorum Archiepiscopo, quibus ipse per menses tres
ibidem commorantibus in cibo, & potu copiosissimè providit. Euge-
nius autem Papa convocatis Episcopis, Abbatibus, & Clericis multis ex tota
Germania, & parte Galliarum synodum celebravit, & multa constituit ad Ec-
clesiæ Dei honorem simul & utilitatem, Ecclesiam quoque Monasterij S.
Matthiæ Apostoli novam ultimâ die Mensis Januarij, idem Papa Euge-
nius cunctis Cardinalibus & Episcopis præsentibus & cooperantibus con-
secravit.

In memorato Concilio Treveris celebrato miracula, visiones, &
scripta, quæ omnipotens Deus per famulam suam Hildegardem opera-
batur apud Bingios, ad aures summi Pontificis Eugenij plurimorum nar-
ratione pervenerunt, quibus auditis Pontifex, & volens rem novam, &
arduam investigare diligentius, misit ad virginem Christi Adelbertum
Virdunensem Episcopum cum quibusdam alijs viris doctis, & Deum ti-
mentibus, dans eis in commissis, quatenus dictorum omnium inquire-
rent veritatem, qui cum pervenissent ad famulam Dei, & ea quæ à sum-
mo Pontifice habebant in commissis, cum reverentia exequerentur, non
solum revelationum seriem, & famam, sed modum quoque & causas ab ea
diligentissimè inquirebant. Quibus illa simpliciter respondebat ad om-
nia, & quid circa eam operata fuisset divinitas, cum summa humilitate
aperuit. Informatione sufficienti acceptâ Nuncij Apostolici, libris vito-
rum virginis illâ petente secum assumptis, ad Papam Treverim redierunt,
& quod omnia invenerint vera, quæ dicebantur de famula Christi, &
solida

Scripta Hil-
degardis
præsentan-
tur Papæ

solida renuntiârunt; deinde volumina quæ illa divinitus illuminata scripserat una cum epistola, quam dederat, Eugenio Papæ cum reverentia tradiderunt. Pontifex scripta virginis coram multis fecit publicè recitari, & per se lectoris quandòque functus officio partem non modicam legens recitavit. Omnes qui audiebant verbum lectionis in admirationem ducti, omnipotentis misericordiam, qui talia operabatur in fragili sexu collaudabant. Aderat his D. Abbas Bernardus, aderat & Ludovicus Abbas S. Mathiæ Trevirensis amicus S. Virginis, quibus mediantibus omnium dubitationum nebulæ à cogitationibus auditorum pellebantur. Omnibus ergo rogantibus, qui aderant, simul & hortantibus Romanum Pontificem, ne lucernam tam insignem divinæque illustratione succensam pravorum hominum machinatione pateretur extinguï, libenter consentit, & literas virgini Hildegardi tenoris sequentis transmisit: *Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei dilectæ in Domino filiæ Hildegardi Præpositæ in monte S. Ruperti salutem & Apostolicam benedictionem. Miramur ô Filia & supra quàm dici potest miramur, quia Deus nostris temporibus jam nova miracula ostendit: cum te spiritu suo ita perfudit, quòd diceris multa secreta videre intelligere & proferre. Hoc à quibusdam veridicis personis audivimus, & ab his maximè quos pridem misimus ad te, qui fatentur se vidisse te, & audivisse loquentem mirabilia, sicut & nos comperimus in libris tuis. Sed quid nos ad ista dicere valemus, qui clavem scientiæ habentes ita quòd claudere, & aperire possumus, & hoc prudenter facere per stultitiam negligimus. Congratulamur autem gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ, & hoc te admonemus, ut scias quoniam Deus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam. Gratiam ergo, quæ in te est, per humilitatem serva & custodi, ita ut ea quæ in spiritu proferenda senseris prudenter proferas: quatenus illud à Domino audias: Dilata os, & ego implebo illud, quòd nobis de loco illo quem previdisti tibi in spiritu significasti hæc permissione & benedictione nostrâ, & Episcopi tui fiat, ita quòd ibi regulariter cum sororibus tuis vivas secundum Regulam S. Benedicti sub ejusdem loci debita, & necessaria clausura. Literis Apostolicis, cum benedictione, gratiarum actione, susceptis, Christi famula Hildegardis summo Pontifici responsalem remisit divinitus in revelatione compositam: in qua illum de quibusdam arcanis quæ ipsius versabantur in corde admonuit, & divinam circa hæc voluntatem, & beneplacitum veraciter indicavit, fuit autè hæc sanctissima Virgo, ut supra diximus, oriunda ex Comitatu Spanhemensi de Villa Bickelheim dicta, Patre Hildeberto milite, matre verò Mechtilde progenita, temporibus Henrici Imperatoris IV. nata in mundum, anno videlicet Gebhardi Abbatis Hirsaugiensis VII. Cujus Pater in curia Comitum de Spanheim cum alijs nobilibus militans versabatur, homo rectus, & Deo devotus. Hildegardis autem cum quinque annorum esset ætatis in Monasterium à parentibus Deo dicanda est oblata, & sub memoratæ superius B. Juttæ magisterio in monte S. Disibodi Monasticæ conversationis habitum assumpsit. A qua diligentissimè in timore Domini instituta, nihil aliud quàm cælestia didicit amare. In quo Cœnobio, cum certis alijs Virginibus inclusa Omnipotenti Deo multis annis secundum Regulam S. Benedicti humiliter servivit, & plures suo exemplo ad timorem Domini convertit.*

Post mortem S. Virginis Juttæ Beata Hildegardis sororum electio-

Hhh 3

ne

S. Bernardus
Abbas. Ludovicus
Abbas.

Exemplar
literarum
Eugenij Pa-
pæ ad S.
Hildegardis.

Locum ha-
bitationis
ejus confir-
mat.

Hildegardis
Papæ
rescripsit.

Genus & o-
rigo Hilde-
gardis.

Scripta S.
Hildegardis
Mytica.

ne magisterium suscepit, quæ divinitus admonita, tandem ad montem S. Ruperti transmigravit. Inter cæteras Domino sub ejus magisterio servientes Virgines Hiltrudis filia Comitis Meginhardi de Spanheim extitit, quæ multis in Christo virtutibus clara fuit; ob cujus preces genitor ejus, Comes memoratus plura bona novo Cœnobio construendo in monte dedit. Porrò S. Hildegardis, sicut in vita ejus legimus, ab infantia divinis revelationibus crebrius visitata, cum præter Psalterium & simplicem melodiam psallendi nullam haberet Latini sermonis scientiam, mirabiliter tamen Spiritu sancto mentem ejus illustrante, in occultis revelationibus suis magna, & ardua didicit, & multa secreta caelestia, partim Latino, partim verò Teuthonico sermone scripsit: quorum titulos librorum per ordinem superius explicavimus. Et revera in quantum nos judicare possumus, ejus scripta non humano sensu vel intellectu sunt edita, sed divino potiùs spiritu mirabiliter infusa, & ideò non passim intelliguntur ab omnibus, sed ab illis duntaxat, utcunque possunt intelligi, quorum pura mens Deo per amorem meruit uniri; scripserunt ad eam literas, seu epistolas multi se orationibus illius commendantes, & monita ex ore ipsius divina præstolantes, inter quos nunc memoriae occurrentes isti fuerunt: Conradus Rex III. Fridericus Imperator I. Eugenius Papa III. Anastasius Papa IV. Adrianus quoque Papa IV. Adriani quoque successor Alexander Papa III. Patriarcha Jerosolymitanus. Patriarcha quoque Aquilegiensis Henricus. Arnoldus & Christianus Moguntini Archiepiscopi & Trevirenses. Archiepiscopi Colonienses, Archiepiscopi Bremenses. Archiepiscopus Salzburgeris. Archiepiscopus Magdenburgeris. Archiepiscopus Ravennensis, & multi de Italia. Cardinales quoque & Prælati Ecclesiarum. Eberhardus Episcopus Bambergensis, Episcopus Spirensis, Episcopus Wormatiensis: Episcopus Constantiensis. Episc. Viridunensis. Episcopus Leodiensis. Episc. Trajectensis. Episcopus Pragensis in Bohemia. Episcopus Hildensheimensis in Saxonia. Episcopus Augustensis in Suevia. Episcopus Ratisbonensis in Bavaria. Episcopus Verdensis. Episcopus Paraviensis. Episcopus Metensis, & plures alij. S. Betnardus Abbas Clarevallensis. Adam I. Abbas in Ebrah. Abb. Eberbacensis. Abb. S. Anastasij Romæ. Abb. S. Emmeranni Ratisbonæ. Abb. de Reisheim. Abb. in Mochensenburgi. Manegoldus Abb. hujus Monasterij Hirsaugiens. de quo suo loco dicemus. Abb. S. Mariæ ad Martyres apud Trevirim. Abb. Ludovicus S. Mariæ apud Trevirim. Abb. S. Disibodi, Abbas Campidunensis in Suevia. Abbas in Elvvangen. Abbas in Maulbronna, Abbas Montis Monachorum juxta Bambergam. Abb. in Zvvifaltem; Abbas de Salfeld. Abbas in Salheim. Abbas in Bosen-dorf. Abbas S. Martini in Colonia. Abb. in Bruvviler, Abbas Wetellen-sis. Abbas in Heilsbronn, Abbas quoque Bellevallis, Abbas Carilocensis. Abbas Clarefontensis. Abbas Charitatis in Gallia. Abbas Bethania. Abb. in Sprengerbach Regularium. Abbas in Rodenkirchen, Abbas in Elversdorff nunc Mariæ Cellæ in Saxonia. Abbas in Wadegas. Abb. Ura-giæ Eckardus. Præpositus in Flanheim tunc Regularium. Præpositus in Heyna Regularium. Præpositus in Westora Regularium. Præpositus in Herad Regularium. Præpositus in Coppenberg. Præpositus S. Victoris prope Moguntiam. Præpositus S. Castoris in Confluentia. Præpositus S. Andreae

Andrea in Colonia. Præpositus in Erfordia. Præpositus Majoris Ecclesiæ in Moguntia. Præpositus S. Simeonis apud Treviros. Præpositus in Kuestede. Præpositus majoris Ecclesiæ Trevirensis. Præpositus majoris Ecclesiæ Coloniensis. Præpositus Franckenfurtenfis. Præpositus Bonnenfis & alij plures Abbates, Præpositi & Priores, &c. Sancta Elisabeth nostri Ordinis Abbatissa in Schönayve Trevirensis Diœcesis, de qua post hæc suo loco dicemus. Abbatissa de Hemelavv. Abbatissa de Widerdorff. Abbatissa in Valle Dei. Abbatissa in Gandersheim. Abbatissa in Wekersvvinckel. Abbatissa nostri Ordinis prope Alzen jam deserti. Abbatissa in Altvvick, Trajectensis Diœcesis. Abbatissa in Krumchem. Abbatissa in Knoffdal. Abbatissa S. Mariæ Ratisbonæ. Abbatissa in superiori Monasterio Ratisbonæ. Abbatissa in Kegfungen. Abbatissa in Gerbstede. Abbatissa S. Cyriaci prope Erfurdiam. Abbatissa in Lubbelsberg. Abbatissa S. Theodori in Bamberg. Abbatissa in Widergoldesdorff. Abbatissa in Veteri Monasterio in Moguntia. Abbatissa in Oldenstat. Abbatissa in Nussa tunc Ordinis nostri. Abbatissa in Horreo Trevirensi. Abbatissa apud S. Virgines in Colonia tunc nostri Ordinis. Abbatissa in Didenkirchen. Abbatissa prope Andernach. Abbatissa S. Glodofindis Metensis. Abbatissa in Erdendal, & plures alia, &c.

Scripserunt & alij plures varias ad eam epistolas Presbyteri seculares, Monachi quoque & Conventus, Philosophi, & Magistri Doctissimi non solum de vicinis, sed etiam de remotissimis locis, ex Italia & Gallia, quibus omnibus Christi famula literas ad interrogata misit responsales, quemadmodum per divinam revelationem didicit singulis esse rescribendum. Nos verò cuncta ejus scripta non solum legimus in virginalibus libris qui sunt in ejus Monasterio apud Bingios repositi, sed fecimus etiam pro nobis rescribi, cum adhuc Monasterio præfederemus D. Martini in Spanheim.

Multis hæc Virgo miraculis claruit tam in vita, quàm post mortem, & fama sanctitatis & revelationum ejus totum orbem Christianum suo replevit odore. Moritur tempore Imperatoris Friderici I. anno Dominicæ natiuitatis MCLXXX. in die sancti Lamberti, & in Ecclesia Monasterij sui quod ipsa construxerat in monte S. Ruperti coram summo altari fuit sepulta; cujus vita in libris descripta est.

His temporibus Fundalus miles quidam in Hibernia strenuus in armis, sed propriæ salutis animæ negligens atque contemptor, sedens quâdam die cum amico suo ad mensam percussus repente divinitus in terram ut mortuus cecidit: & per 4. dies propter calorem, qui sinistro notabatur in latere sic jacens insepultus amicorum consilio permansit, quartâ verò die reversus ad semetipsum miranda, quæ viderat apud inferos, narravit mortalibus, quæ cum sunt vulgatissima his inferenda non putamus.

MCLI.

Anno Volmari Abbatis xxxi. fames magna in omni Germania fuit, quam ingens hominum mortalitas subsecuta est, & multa millia consumpsit. Eodem anno mortuus est Arnoldus ejus nominis I. Archiepiscopus Coloniensis, cui Arnoldus II. majoris Ecclesiæ Præpositus Conradi Regis Cellarius in Pontificatu succedens præfuit annis vi. vir acutus ingenio, qui Regem in Italiam & Hierosolymam semper est secutus.

Iste

Abbatissa
ad eam li-
teras scri-
bentes.

Conradus
Rex tertius
quare non
fuit Impe-
rator.

Iste Conradus Rex Romanorum quamvis fuerit in Italia, coronam tamen Imperij non accepit, sed Regio nomine Contentus Imperiale titulum non curavit, exemplo nimirum Henrici Regis I. qui consensu omnium Principum electus & coronatus in Regem, apud Aquasgrani, nunquam induci potuit ab aliquo ut coronam Imperij susciperet; dicebat enim sibi sufficere quod Rex esset nec minus velle aut posse Rei professe publicæ, quàm si coronam videretur sublimatus Imperij, operibus indigere Regnum, non titulo.

His temporibus Arnoldus memoratus Ecclesiæ Coloniensis Archiepiscopus Cœnobium Monialium, Ordinis nostri Ryndorff dictum, haud procul ab oppido Bonnensi sub honore S. Clementis Papæ & Mart. de novo construxit, in quo mortuus postea sepultus fuit.

Crafftus Comes fit Abbas Spanheimensis.

Anno prænotato xxvii. die mensis Martij obiit Bernhelmus I. Abbas in Spanheim anno Regiminis suis xxvii. nondum completo, ætatis verò lxxiv. sepultus in medio Chori: vir æternam memoriæ dignus, Deo & hominibus dilectus, Regularis disciplinæ custos, & observator præcipuus, cunctisque virtutibus adornatus: qui modicum gregem sibi à Domino commissum in omni Religione, & sanctitate, non minus exemplo quàm verbo strenuè gubernavit. Huic secundus in Abbatia Spanheimensi ex Comite Monachus dudum factus successit Crafftus vir in Christo multarum virtutum, & præfuit annis xxiv. mensibus ii. & v. diebus, de quo jam supra diximus. Hic Monasterio in utroque statu satis utiliter præfuit, & tam res temporales quàm numerum personarum auxit, de quo in Historia Spanheimensis Monasterij dudum plenius diximus. Ejus Pater fuit Meginhardus, Comes in Spanheim & fundator præfati Monasterij. Soror autem Beata Hildegardis Sanctimonialis in Cœnobio D. Ruperti, apud Bingios vitam duxit Monasticam.

Wigmannus fit Archiepiscopus Magdenb.

Eodem anno mortuus est Fridericus Magdenburgensis Ecclesiæ in Saxonia Archiepiscopus, cui Wigmannus filius Comitis de Tegenburg, natione Bavarus, promotione Regali succedens præfuit annis xlii. vir in agendis negotijs tam secularibus quàm Ecclesiasticis, prudens & agilis, cujus diligentia haud parum Ecclesiæ profuit. Hoc ipso quoque anno mortuus est Conradus Landgravius Thuringiæ.

Cœnobium Sancti Afræ Herbipoli fundatur.

Anno etiam prænotato constitutus est sanctus Roffoldus ex Monacho hujus Cœnobij Hirsaugiensis quintus Abbas Monasterij S. Protomartyris Stephani apud Herbipolim civitatem Francorum orientalium, de quo longè supradictum est anno S. Wilhelmi Abbatis xvi. erat autem multarum virtutum & magnæ sanctitatis, instaurator Monasticæ disciplinæ vigilantissimus, in oratione sancta continuus, divinarum scripturarum amator & lector studiosissimus, qui verbo & exemplo subditos sibi Monachos in omni sanctitate præcessit, & se in opere divini amoris omni tempore studiosissimè exercitavit. Iste Sanctus Abbas Roffoldus ex mandato & permissione Sigefridi Herbipolensis Episcopi, hospitale, quod erat retrò Monasterium suum in suburbano memoratæ civitatis in alium locum transferens, Cœnobium ex eo Monialium Ordinis nostri constituit: quod consummatum feliciter in honorem S. Afræ Martyris dedicari solemniter obtinuit: Quod quidem Cœnobium in suburbio civitatis permanet usque in presentem diem, & ante annos ferme sex ad observantiam

tiam regularem reductum est, per Laurentium de Hibera Reverendissimum Ducem atque Episcopum. Literas vidimus Henrici Herbipolensis Episcopi sigillo confirmatas in quibus hunc Roffoldum virum Religiosum & sanctum protestatur.

MCLII.

Anno Volmari Abbatis xxxii. mortuus est Adelbero Trevirorum Archiepiscopus, vir magnanimus & singularis censurae, justitiae & aequitatis: ac Jurium Ecclesiae tam Romanae quam suae defensor acerrimus. Hic in die Paschatis cum Lothario quondam Imperatore constitutus in palatio Aquisi posteaquam Regalia Ecclesiae Trevirensis ab eodem Imperatore, ut moris est, suscepisset; altera mox die Simonem illius fratrem in Ecclesia existentem pro quibusdam commissis excommunicatum publice denunciavit exire de templo sub lectione S. Evangelij coegit. Post Adelberonem, Trevirorum Archiepiscopus ordinatus fuit majoris Ecclesiae Decanus nomine Hillinus: & praefuit annis xviii. vir morum integritate, ac Scripturarum eruditione, multum illustris & valde reverendus. Hic plura Monasterijs Sanctorum Matthiae, Martini, Maximini & alij restituit, quae praedecessor ejus sibi contra Jus aequitatis rapiendo violenter, ut supra diximus, usurpaverat. Eodem anno Arnoldus, quem priori anno electum ad Ecclesiam Coloniensem diximus Romam profectus ab Eugenio Papa III. in Archiepiscopum solemniter cum apparatu ordinatus est: & cum honore magno ab eo dimissus, sed & pallij decore ornatus ad sua revertitur. Anno Volmari Abbatis praenotato Conradus Rex apud Bamberg urbem Francorum Orientalium infirmari coepit ad mortem, qui vocans ad se Fridericum Ducem Suevorum fratris sui filium, tradidit ei Regalia, confessusque peccata sua Sacerdoti & Sacramentis Dominicis praemunitus, xix. die mensis Februarij, hoc est xi. Calendas Martij vitam cum morte commutavit, anno Regni sui xiv. in Monasterio Ebracensi, quod ipse fundaverat, sepultus.

Post ejus mortem convenerunt Regni Principes in oppido Regali Frankfurt juxta Moganum pro celebranda electione novi Regis: ubi collatis singulorum votis, Fridericus Dux Suevorum, de quo diximus, Conradi Regis defuncti ex fratre nepos, omnium electione atque consensu in Regem Germanorum, Imperatorumque Romanorum sublimatus est: mox ductus ad Aquasgranum cum magna solemnitate coronatus inungitur, & regnavit annis xxxvii. vir dignus imperio & multa gloriose pertravit.

MCLIII.

Anno Volmari Abbatis xxxiii. mortuus est sanctus Macharius primus Abbas Monasterij mei S. Apostoli Jacobi majoris in Sucurbano Herbipolensis civitatis, in cujus transitu voces audiebantur Sanctorum Angelorum dulce melos cantantium. Sepultus est in Capella S. Jacobi, primo sub lapide, juxta murum elevato, cum tali inscriptione: *Hic jacet Macharius primus Abbas hujus loci per quem omnipotens Deus vinum in aquam convertit.* Cui successit in Abbatia Monachus quidam nomine, & conversatione veraciter Christianus, & praefuit annis xxvi. vir magnae religionis qui a praedecessoris sui sanctitate minimè declinavit.

Anno etiam praesignato Henricus Moguntinens. Archiepiscopus

Adelbero
Trevirorū
Archiepisc.
moritur.

Hillinus fit
Trevirorū
Archiepisc.

Arnoldus
Colonienf.
ordinatur.

Conradus
Rex III.
moritur.

Fridericus
Imperator
eligitur.

S. Machari-
us Abb. mo-
ritur.

Henricus
Archiepisc.
Moguntin⁹
deponitur.

Arnoldus
fit Archie-
piscopus
Moguntiz.

ex mandato Romani Pontificis Eugenij III. per duos Cardinales Sedi Apostolicæ Legatos Gregorium & Bernardum à Pontificatu suo, quem annos undecim gubernaverat, deponitur: qui melancholiâ & gravi marore animi consumptus eodem anno primâ die mensis Septembris moritur, finem miseriarum hujus vitæ accipiens. Cui mox in Archiepiscopatum Moguntinorum Regis Friderici promotione successit, Aquisgranensis Ecclesiæ præpositus, Cancellariusque Regius nomine Arnoldus, & præfuit Annis xv. vir sapiens & in agendis quibuslibet multâ exercitatione peritus. Hunc Moguntini cives Anno Pontificatus sui xv. conspuratione factâ in processione solemnî crudeliter occiderunt in Ecclesiâ Monasterij S. Jacobi extra muros civitatis, ut suo loco dicemus.

Causam depositionis Henrici Historiarum scriptor tacuit: nos tamen in quadam epistola S. Hildegardis ad eum scripta, negligentem in cura pastoralis officij fuisse consideravimus, ad quem ita dicit: *Sed & ille qui & ille est o homo dicit tibi: Audi quod in multis scrutinij me negligi. Cælum de ultione Domini apertum est & nunc inimicis funes dimissi sum. Tu autem surge quia dies tui breves sunt: & reminiscere, quia Nabuchodonosor cecidit, & quod corona ipsius perijt, & alij multi ceciderunt, qui se temerè in cælum exaltaverunt. Ah tu civis quare non erubescis in altum te spargere! cum debeas in putredinem converti?* Ex his verbis S. Virginis clarè patefcit ipsius Henrici depositionem suis meritis debitam ex divina factam ordinatione.

Ad Arnoldum verò Archiepiscopum successorem Henrici scribens in quadam epistola S. Hildegardis famula Christi sic inter cætera dicit: *O Pater, vivens lumen hæc verba mihi ad te dedit. Cur non es fortis in timore meo, & quem zelum habes quasi triticum exeribes ita ut separando deijcias, quod tibi contrarium? sed hoc nolo. De oculo autem cordis tui inquietam mentem absterge, & de te ipso & de populo tuo injustitiam abscide quia tempus bellorum in moribus hominum nunc instat, ita quod nec in disciplina nec in districtum timoris Domini sunt, tu tamen ne formides eos ad bonum coercere, quoniam propter hoc tribulationem & angustiam sustinueris, ne parveas: quia Filius Dei tu dempassus est: surge itaque ad Deum, quoniam tempus tuum cito veniet. Quis hæc de Martyrio ejus dicta non intelligat?*

Henricus
Mindensis
Episcopus
deponitur.

Anno prænotato Henricus Mindensis Ecclesiæ Præsul per jam dictos Apostolicæ Sedis Nuncios & Cardinales deponitur: accusatus enim quod sui familiares ipso sciente & consentiente Clericum quendam erutis oculis cæcaverint, cum se non possêt expurgare legitime in-vitus sententiam depositionis subivit. Cui Wernherus ejusdem Ecclesiæ præpositus, communi Fratrum electione fuit substitutus.

Anastasius
fit Papa IV.

Item anno prænotato Eugenius Papa III. moritur, & Romæ in Ecclesiâ S. Joannis Lateranensis non sine opinione sanctitatis magnæ sepelitur. Post quem Conradus Abbas Monasterij S. Rufi Ordinis nostri Duce-cis Viletrinae, patriâ Romanus, electione Patrum in summum Pontificem sublimatur, & Anastasius IV. nuncupatur, præfuit annis duobus, mensibus quatuor & viginti 4. diebus, vir in omni virtute probatus, amator bonorum, protector pauperum, Cleri promotor atque defensor, & elemosynarius omnium pienssimus. Hic Papa Anastasius literas amicales misit ad Christi famulam Hildegardem apud Bingios commorantem anno Pontificatus sui primo, in quibus eam salutat, seque orationibus il-

lius commendat. Virgo sancta rescribens, & Schisma, quod post Adriani mortem subsecutum est, prænuncians inter cætera sic illuminata divinitus dicit: *Estu Roma velut in extremis jacens conturbaberis, ita quod fortitudo pedum tuorum, super quos hæcenus stetisti, languescet, quoniam filiam Regis videlicet justitiam non ardenti amore sed quasi in torpore dormitionis amas, ita ut eam à te expellas. Unde & ipsa à te fugere cogitur, si non revocaveris eam per opera pietatis.*

Anno prænotato in civitate Coloniensi fuit homo quidam Patre Judæo, sed converso natus, qui dum Corpus Dominicum in solemnitate Paschali de manu Sacerdotis in Ecclesia oretenus suscepisset, continuo exivit. Retraçto autem ex ore nefandissimo venerabili Sacramento domui importare suæ statuit: nescio quid maleficij ex eo facturus. Et ecce subito irruit super eum angustia, metus, & tremor, ita quod tremens & mente nimium turbatus nesciret quid faceret, factaque in cœmiterio fossulâ Sacrosanctum Christi corpus in eam deposuit, & aperiens terram sepelivit, superveniens verò Sacerdos quidam & discens rem gestam à perfido fossam rejectâ humo reverenter aperuit & mox in ea non Hostiam, sed puerum parvulum atque pulcherrimum invenit, quem summo cum honore manibus elevans portare in Ecclesiam voluit: & ecce miraculum cælesti perfusus lumine divinitus infans de manu tenentis elabens superos ascendit.

MCLIV.

Anno Volmari Abbatis Hirsaugiensis xxxiv. Fridericus Rex cupiens expeditionem movere in Italiam: pacem in Regno prius studuit reformare inter dissidentes: erant enim discordiæ, & dissensiones non modicæ his temporibus inter Henricum Saxoniam Ducem, & Lupoldi Marchionis Austriæ filium, qui Baviaræ Ducatum ex donatione Regis quondam Conradi, genitori suo collatum occupavit. Verum cum ambæ partes Regi sanguine jungerentur, maximè cupiebat eos reddere concordēs. Consilio itaque usus Principum, Ducatum Saxoniam legitimis hæredibus restituit, hoc est Henrico qui est Leo Henrici superbi Ducis Baviaræ filio, de quo plura supra diximus, vulgò nuncupatus, & filijs ejus, quibus etiam Baviaræ Ducatum avo quondam ablatum resignavit. Porro Henricum Lupoldi Marchionis filium, qui Bavariam post Guelfonem Henrici superbi Ducis fratrem per annos aliquos tenuit: in Ducem Austriæ, ut supra dictum est, sublimavit. His factis Rex Fridericus magno nostrorū congregato exercitu in Italiam pro adipiscenda corona Impetij profectus est: Et primo quidem impetu Placentiam Æmiliæ urbem expugnans obtinuit: & cives antea rebelles & contumaces vellent nolent ad obedientiam revocavit. Castella etiam nonnulla propter insolentiam Longobardorū, Mediolanensium & Cremonensium præcipuè incendio vastans funditus evertit. Deinde Spoletum opulentissimum Umbriæ oppidum incendio concremavit, sicque versus mare cum exercitu transiens nullo resistente Romam anno sequenti pervenit.

MCLV.

Anno Volmari Abbatis xxxv. Indictione Romanorum III. ultimâ die mensis Februarij mortuus est Meginhardus Comes de Spanheim fundator Monasterij S. Martini ibidem filius Stephani Comitis, qui Monasterium

Corporis
Dominici
miraculū
Coloniæ.

Rex Fridericus in Italiam proficiscitur.

Meginhardus Comes moritur.

sterium primus construere coepit, quemadmodum in principio historiarum ejusdem Coenobij dudum scribentes ostendimus. Reliquit autem filios tres, Crafftonem qui fuit Abbas in Spanheim, Gotfridum & Meginhardum Comitatu praesidentes. Hiltrudem Monialem apud S. Rupertum, & Sophiam, quam Fridericus Comes Valentiae habuit uxorem.

Adrianus
sic Papa IV.

Eodem anno Anastasius Papa IV. moritur, & in Basilica Lateranensi sepelitur, Rege Friderico cum exercitu in Italia existente sicut anno priore diximus, & munitiones subvertente rebellium. Post Anastasium Nicolaus ex Monacho nostri Ordinis, natione Anglicus. Episcopus Albanensis, qui Noruegiam Christi converterat (ut supra diximus) ad fidem, Patrum electione Papa factus & nuncupatus Adrianus IV. praefuit annis IV. mensibus X. vir non minus sanctitate quam prudentia reverendus.

Fridericus
Rex fit Imperator
primus.

Fridericus Rex devictis adversariis in via cunctis, tandem ut supra dictum est, Romam pervenit, & à senatu populoque Romano cum honore maximo salutus: coronam Imperij de manu Papae suscepit. Coronatus cum solemnitate consuetam Imperator Fridericus diebus paucis in urbe Roma stauerat quiescendum, & ecce quadam die circa meridiem Romani nonnulli factiosi seditionem in Caesarianos subito moventes, uno cunctos impetu se neci duros moliebantur.

Seditio Romanorum
in Caesarianos.

Quod audientes Imperiales armis confestim se induunt, Romanos retrocedere vel in Tyberim cadere compellunt: tantaque in eos caede saevierunt, ut alveus ipse fluminis totus in sanguinem versus putaretur, facta tam cruenta victoria die videlicet octava decima mensis Junij non satis bene confidens Romanis Imperator, sequenti mox die non moratus reditum instituit: & exercitum sanum in patriam reduxit.

Episcopatus
Lubecensis
instituitur.

His quoque temporibus Episcopatus Lubecensis in finibus Saxoniae cum licentia, & permissione Romani Pontificis de Oldenburg in oppidum Lubec translatus est; & Geroldus primus Lubecensis Episcopus est ordinatus, vir in omni genere scientiarum doctissimus.

Bellum inter Moguntinum Episcopum & Comitē Palatinum.

Anno praenotato Imperatore adhuc in Italia consistente Arnoldus Moguntinensium Archiepiscopus Hermannum Palatinum Rheni Comitem propter injurias contumelias, & rapinas Wormatiensi tam Ecclesiae quam Pontifici & Clero irrogatas cum suis auxiliariis excommunicavit. Qui commotus in iram cum magno suorum exercitu terras Archiepiscopi hostili animo ingreditur, & devastans omnia in pauperes crudeliter debachatur. Contra quem Archiepiscopus, suorum quoque misit exercitum; fuitque inter eos nimis atrociter pugnatum. In parte Palatini Comitis fuerunt, Gotfridus Comes de Spanheim. Emicho Comes de Lyningen. Henricus Comes de Kazenhelenbogen, Conradus Comes de Kirchenberg. Henricus Comes de Didesheim & complures alij, qui omnes unam sententiam in Archiepiscopum conspiraverunt. Verum audito Imperatoris adventu subito territi omnes quieverunt.

Bruno fit Episcopus Hildensheimensis.

Anno etiam praescripto Bernardus Episcopus Hildesheimensis in Saxonia in annum jam decimum caecus, & ob id ad Regimen Ecclesiae minus utilis Pontificatum spontanea voluntate resignavit: Cui successit Bruno Majoris Ecclesiae Decanus, vir multum Religiosus, & B. MARIE semper Virgini devotissimus, qui Ecclesiae memoratae utiliter praefuit, &

& populum Dei Verbo & exemplo semper erudit. Hic Bruno Reverendissimus Præsul, cum in amore Dei Parentis Gloriosissimæ Virginis **MARIÆ** ferventissimâ devotione arderet: & quicquid posset pro ejus reverentia hilariter faceret: inter alia Octavas Nativitatis ejus celebrandas per suam Diocesim primus omnium instituit: quas & Sancta Mater Ecclesia postea suscepit. Cui Sanctissima Dei Genitrix Virgo **MARIA** Octavas ipsas quâdam vice devotissimè celebranti sub matutinis visibilibus apparuit, & gratias ei referens æternæ vitæ præmia sibi in cœlestibus repromisit.

In fine prænotati anni Fridericus Imperator de Italia reversus; Nativitatem Domini in Wormatia cum magno apparatu in præsentia multorum Principum celebravit. Aderant inter cæteros supra dicti pacis transgressores Hermannus Comes Palatinus Rheni, Gotfridus Comes in Spanheim, Emicho Comes in Lyningen, Henricus Comes de Katzenelenbogen, Conradus Comes in Kirchberg, & Henricus Comes de Didesheim, quos Imperator propter conjuratæ pacis violentiam durè arguit, & de consilio Principum canes pro satisfactione portare jussit. Quo facto Archiepiscopus illos ab excommunicationis vinculo absolvit. Porro ex parte ipsius Archiepiscopi canes portare coeperunt Ludovicus de Lohun, & Wilhelmus Comes de Glizberg; sed ob reverentiam Archiepiscopalis dignitatis mox ab astantibus rogatus Imperator, eos jussit cessare.

Octava Nativitatis B. Mariæ instituitur.

Imperator Violatores pacis corripuit.

Canes portare Comitibus coacti sunt.

Anno Volmari Abbatis xxxvi. Arnoldus Moguntinæ Ecclesiæ Reverendissimus Archiepiscopus pro quibusdam causis, honorem, & utilitatem, Ecclesiâque suam concernentibus Romam profectus est, & cum benevolentia charitatis ab Adriano Pontifice susceptus, Apostolicæ Sedis Legatus ab eo constitutus est, ad propriâque reversus.

Archiepiscopus Moguntinæ Romam profectus est.

Anno prænotato Fridericus Imperator, uxore suâ apud Constantiam Sueviæ repudiatâ, aliam super induxit Agnetem Burgundiæ Principis filiam, nuptijs publicè ac solemniter celebratis. Unde in populo Dei scandalum gravissimum sequitur, & variæ locutiones.

Imperator uxorem suam repudiavit.

Anno item præscripto mortuus est Hermannus Comes Palatinus Rheni, de quo jam proximè diximus, qui filios non reliquit, cujus Principatum Conradus frater Imperatoris Friderici Primi ex parte Patris donatione Imperij possidendum accepit: qui Conrado Wormatiensis Ecclesiæ Episcopo non paucas irrogavit injurias, bona diripiendo Sanctorum, & in usus convertendo suos & suorum.

Eodem anno circa Festum Omnium Sanctorum Imperator Fridericus descendit ad Coloniam, ubi tam à Clero quàm à populo civitatis magno cum honore susceptus est, conventumque Principum solemnem celebravit. In qua Curia miles quidam nomine Bernardus coram Imperatore accusatus, quod in necem Hermanni Comitis de Wincenberg conspirasset, qui nuper fuit occisus, capite plexus est.

Conventus Principum in Colonia.

His temporibus Imperator Fridericus Ducem Bohemiæ sublimavit in Regem, Ducatum in Regnum commutans, quod manet usque in præsentem diem. Coronatus autem fuit in Ecclesia Pragensi per ministerium Arnoldi Moguntinensium Archiepiscopi, sub cujus Provincia Pragensis Episcopatus adhuc fuerat constitutus. Unde coronatio Regum

Bohemiæ Ducatus sublimatur in Regnum

Bohemiæ de conſuetudine antiqua ad Moguntinam pertinebat Eccleſiam, donec tandem per quendam Archiepiſcopum Moguntinum, pecuniâ interveniente, Pragenſi Eccleſiæ conſeſſum fuit.

Imperator
debellat
Ducem Po-
loniæ.

Anno prænotato Fridericus Imperator exercitum movit in Poloniam contra Ducem gentis, qui per annos aliquot Imperio rebellis extitit, & annum tributum ſolvere contempſit. Congreſſione itaque factâ, exercitus Cæſarianus contra Ducem prævaluit, & rebelles ad obedientiam coëgit. Denique cenſum prioribus annis neglectum Imperator Ducem ex integro ſolvere compulſit, à quo & novas cautiones ſufficientes accepit. Quibus pactis, ad interiora Imperij reverſus eſt.

MCLVII.

Decanus
Pfortzenſis
fit hic Mo-
nachus.

Anno Volmari Abbatis xxxvii. Indiſtione Romanorum quintâ, Sigefridus Decanus Eccleſiæ in Pfortzheim Monachus in præſenti Cœnobio Hirſaugienſi pro Chriſti amore factus eſt, vir prudens & ſingulari devotione charitatis in Deum ferventiſſimus atque in divinis Scripturis haud mediocriter eruditus; qui multa in uſus fratrum bona contulit, ſicut liber Donationum oſtendit. Simili devotione complures alij viri nobiles docti & honorati, ac divites in ſæculo, ſpretis atque contempſis mundi vanitatibus cunctis, tempore Volmari Abbatis & ſe & ſua Monasterio tradentes, ſanctæ converſationis habitum pro Chriſti amore ſuſceperunt, in obſervantia Regulari uſque ad mortem perſeverantes; inter quos fuit non ultimus poſtea Volmari ſucceſſor, nomine Hartvvigus, qui primo in majori Eccleſia Spirenſi Decanus extitit, & poſtea in Præpoſitum à Confratribus ſuis electus fuit. Cùmque honore dignitatis atque divitijs magnus haberetur in ſæculo, cuncta pro Chriſti amore deſeruit, & in hoc Monasterio ſub Volmaro Abbate ſanctæ converſationis habitum aſſumpſit. Cujus ſecuti exemplum multi ſæculum ſimiliter contempſerunt.

Præpoſitus
Spirenſis fit
hic Mona-
chus.

Volmarus
Abb. Cœ-
nobij xv.
moritur.

Anno prænotato Volmarus Abbas hujus Monasterij Hirſaugienſis xv. ſento gravatus, & multis laboribus nimium fatigatus infirmari coepit, & morbo paulatin crescente tandem deficiens xxv. die menſis Februarij, ad Dominum emigravit, aſſo Regiminis ſui xxxvii. demptis quatuor diebus completo, in majori Monasterio ante Altare S. Michaelis cum devotione ſepultus. Vir certè apud omnem poſteritatem æternâ memoriâ dignus utpote qui non ſolum regularis diſciplinæ obſervantiam inviolabiliter tenuit, verum etiam in temporalibus providus, res Monasterij, cenſus, redditus atque ſtructuras tempore ſui Regiminis valde ampliavit.

De Hartvvigo hujus Monasterij Hirſaugienſis Xvi. Abbate; qui præfuit menſibus duntaxat duobus; Et vita ejus.

Hartwigus
Abbas xvi.
eligitur.

Volmaro Abbate Reverendiſſimo vitâ defuncto, atque ſepulto non ſine gemitu & lachrymis filiorum, qui illum ut patrem ſanctum & pientiſſimum veraciter in Chriſto diligebant; eodem mox die propter cauſam urgentem ad novi Paſtoris electionem conſultò fuit proceſſum. Invocatâ igitur, ut moris, gratiâ Spiritûs Sancti, Fratres in Domino congregati Hartvviguna venerabilem Patrem tam